H
XXX
11
8/5

48822/P

H.XXXII

18/5

35016.

F. SNIP

MED. DOCT.

DISSERTATIO DE LITHOTOMIA SIVE CALCULI SECTIONE.

AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM SCHREUDER &
PETRUM MORTIER Juniorem.
MDCCLXI.

CLARISSIMO AC CELEBERRIMO

V I R O

HUMANÆ MACHINÆ PERSCRUTATORI INDEFESSO

PETRO CAMPER,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORI,

MEDICINÆ, ANATOMES

ET

CHIRURGIÆ

IN

ILLUSTRI AMSTELÆDAMENSIUM ATHENÆO

PROFESSORI HONORARIO,

REGIÆ SOCIETATIS
LONDINENSIS
SOCIO,
ET
SOCIETATIS HAARLEMENSIS
MEMBRO DIGNISSIMO,
PRÆCEPTORI, ET FAUTORI SUO
IN ÆTERNUM COLENDO,
VENERANDO,
S. P. D.
FOLKERT SNIP.

QUoties animum ſubit lucidum illud ſtudiorum intervallum,
in

in quo, Te duce, Vir Clariſſime, primum in patria Academia per quinquennium, dein Amſtelædami, Anatomicam & Chirurgicam addidici ſcientiam; toties inſigni lætitia perfundor, & hilares induo vultus.

Neque Tuorum beneficiorum gratam recordationem unquam e pectore evelli ſinam.

Tuam ſingularem in me beni-

nignitatem, incredibilem animi candorem ſemper in corde, ſemper in oculis ſervabo, perire aut evaneſcere nunquam ſinam, & quæ mihi vitam dies, illa Tuorum in me beneficiorum memoriam terminabit.

Ut vero gratæ & devotæ mentis publicum pateret teſtimonium, hancce qualemcunque Diſſertationem Tuo Nomini inſcribere auſus fui.

Ac-

Accipe, quæſo, Vir magne, accipe, hocce debitæ venerationis & obſequii ſignum, eadem frontis hilaritate, qua & me dignari ſemper voluiſti.

Deum Optimum maximum interea ardentiſſimis precibus compellare non deſinam pro Tua perenni ſalute.

Faxit Summus Ille rerum Moderator, ut diu Patriæ, Arti Apollineæ, felix, ſoſpes, incolumis,

lætuſque ſuperſtes ſis atque inſervias. Vale, Vir Clariſſime, Præceptor ac Fautor ad ultimum vitæ meæ halitum colende, & me porro amare perge.

Dabam
Doccomii.

DE

INTRODUCTIO.

INter innumera, quæ corpus humanum (firmam quidem illam ac ſtabilem adſpectu, ſed revera caducam machinam) affligunt mala, non ultimo loco numerandum eſt, triſtiſſimum & dirum illud humano generi incommodum, quo Lapis in veſica urinaria concretus miſero homini nocte dieque diriſſimos cruciatus adfert.

Cumque veſicæ Calculus ſat frequenter, imo plus quam alios mundi incolas, Hollandos, Gallos ac Anglos infeſtet, ab omni ævo harum regionum Chirurgi, ac Medici ſummopere inſudarunt, ut perfectam invenirent methodum, qua proximum ab hoc intolerabili malo liberent ac vitam facilem reddant.

Orta eſt inde inſignis diverſitas in operatione Calculi: ita enim eſt comparata hominum natura, ut quicquid ipſi invenerint, facile aſſequantur,

propria inventa laudent, aliena repudient.

Inde tot inſtrumenta, totidemque encheireſes hodie reperiuntur hac in operatione, ut dubii hæreant plures quænam inſtrumenta, quamnam præ aliis ſecandi methodum amplectantur.

Plurimos ſuper hac re evolvi Auctores, plurima in cadaveribus inſtitui experimenta, omnia in compendium redegi, eo ſcopo ut publici juris facerem ea, quæ mihi probabiliſſima videbantur. Hæc ſi quandam humano generi utilitatem adferant, laboris non pœnitebit. Si quædam ſunt quæ minus placent, pro humanitate ignoſcat Lector benevolus, rogo.

DE
LITHOTOMIA.

CAPUT I.

De Calculis in diverſis corporis humani partibus.

CAlculus eſt concreſcentia lapidea in corpore humano nata, ut plurimum vero in veſica deliteſcens.

Nulla vero pars humanæ machinæ ab eo immunis manet, quemadmodum ex Obſervatoribus colligere poſſumus.

In ventriculo cerebri pueri quatuordecim annorum, calculum 13 grana pendentem in-

venit Theodorus Kerkringius (*a*). In poſteriori capitis parte Hildanus (*b*). Offi cribroſo adnatum Clauderus. In naribus Bartholinus (*c*).

Calculorum ſub lingua generationem confirmat duobus exemplis Simon Schultzius (*d*). Calculos in tonſillis genitos reperit Schenckius (*e*). Calculum nucem minorem adæquantem in abſceſſu maxillæ obſervavit Bartholinus (*f*), ac in baſi maxillæ Borellus (*g*). Calculos aſperam arteriam prementes vidit & figurâ illuſtravit Kerkringius (*h*). In pulmonibus Baronis cujuſdam varios calculos vidit a Nigroponte (*i*). Calculos per tuſſim rejectos obſervavit Paulus Ægineta (*k*), ac Carolus Piſo

(a) *In obſ. anatomicis.*

(b) *Cent* 1. *obſ.* 11.

(c) *E. N. C. decur.* 2. *ann* 3. *p.* 176. *tantam ille duritiem habebat ut malleo vix diffringi potuerit.*

(d) *E. N. C. dec.* 1. *a* 3. *citat nempe Chirurgum qui duas mulieres ſub lingua inciſione facta a calculis liberavit.*

(e) *Obſ. med. lib.* 2. *p.* 227.

(f) *Barth. hiſt. cent.* 5. *hiſt.* 91.

(g) *Cent.* 2. *obſ.* 17.

(h) *Obſ. anatom.* 27.

(i) *E. N. C. d.* 1. *a* 2. *p.* 278.

(k) *Lib.* 3. *c.* 31.

Piſo (*a*). In corde magnam lapidum congeriem invenit J. H. Hottingerus (*b*), ut & Hollerius (*c*) calculos & abſceſſus in corde repertos refert. De calculis ad baſin aortæ repertis obſervationem allegat Schenckius (*d*) : ramis coronariis lapides adnatos invenit Bellinus (*e*). Lapides tres in pericardio inventos habet Lanzonus (*f*). Johannem Bilgerum plures quam 30 calculos ex ventriculo, fundo ejus pertinaciſſime adhærentes, extraxiſſe confirmat Bartholinus (*g*). Lapidem ovi gallinæ magnitudinem fere æquantem, in ventriculo repertum refert Cardanus (*h*). Hepar Baroniſſæ cujuſdam 12 librarum ponderis, hinc inde calculis flavis conſperſum conſpiciebatur, teſte a Nigroponte (*i*).

In veſicula fellea Ejuſdem duo calculi inveniebantur, ac tertius, qui meatum bilis obſidebat.

(a) *De morb. ex coll. ſer. p.* 215.
(b) *E. N. C. dec.* 3. *a* 9. *p.* 163, 164.
(c) *Comm. in Coac. Hipp. p.* 324.
(d) *Obſ. med. p.* 309.
(e) *De morb. pect. p.* 450.
(f) *E. N. C. dec.* 3. *an.* 7, 8. *p.* 119.
(g) *Epiſt. med. cent.* 3. *p.* 37.
(h) *Contrad.* 9. *lib.* 2. *tract.* 5.
(i) *E. N. C. d.* 1. *a* 1. *p.* 253.

bat. Langius (*a*) quoque in veſicula fellea lapidem invenit. Octodecim Lapillos itidem in veſicula fellis vidit Veſalius (*b*). Plus quam quadraginta reperit Schmidius (*c*) in veſica biliaria Principis cujuſdam. Veſicam felleam calculis repletam olim cum Franequeræ ſtudiorum cauſa commorarer, mihi monſtravit Celeberrimus Camper. Veſicam felleam calculoſa cruſta interne obductam in cadavere vidit Ruyſſchius, *tom.* 1. *obſ.* 31. *p.* 30. ut & calculum in ductu cyſtico hydropici *obſ.* 87. *p.* 81.

Neque Lien a calculo immunis manet. Eum calculis plenum refert A. Cnœffelius (*d*). Lapidem quoque in liene Nobilis inventum fuiſſe obſervatione confirmat Schenckius (*e*). De lapidibus in abſceſſu meſenterii repertis mentionem facit G. A. Merklinus (*f*). Inter duplicaturam peritonæi lapides hæſiſſe J. Moeren (*g*) refert. Imo in ipſis venis meſaraicis

(a) *Ep.* 57.

(b) *In Epiſt. de rad. China.*

(c) *Epiſt. N. C. dec.* 1. *ann.* 9, 10. 144.

(d) *E. N. C. d:* 1. *a* N. & 5. *p.* 45.

(e) *Obſ. med. p.* 468.

(f) *E. N. C. d.* 1. *a* 8. *p.* 78 *ubi etiam de Lapide in Pancreate invento obſervationem habet.*

(g) *E. N. C. decur.* 2. *a* 4. *p.* 251.

cis lapides, qui chyli tranſitum impediebant, in duobus fratribus obſervavit G. Wincklerus (*a*). Idem (*b*) ille calculos ex umbilico prodiiſſe teſtatur, quod jam antea memoriæ prodiderat Columbus (*c*). Ipſum teſticulum lapide infeſtatum memorat Schenckius (*d*); & veſiculam ſeminalem Valentinus (*e*). In Glandula prope veſicæ collum & in ſcroto lapides fuiſſe inventos refert Schenckius (*f*).

Nec minus uterus a calculis liber manet, teſte Cnœffelio (*g*). In vena portæ calculos invenit Columbus (*h*). In articulis podagricorum Schenckius (*i*). In abſceſſu genu Pareus (*k*). In ſtea-

(a) *E. N. C. dec.* 1. *a* 3. *pag.* 528.

(b) *E. N. C. dec.* 1. *a* 3. *p.* 542.

(c) *Anat. Lib.* 15.

(d) *Obſ. med. l.* 4. *p.* 585.

(e) *E. N. C. d.* 2. *a* 6. *p.* 158.

(f) *P.* 587.

(g) *E. N. C. dec.* 1. *ag.* 4. *p.* 52. *ac idcirco mirum eſt quod Mercurialis neget calculos in utero generari poſſe, quoniam in utero materno non adſit materies, quæ ſit apta in Lapidem durari, tum quia neceſſitas adſit ut ex utero exeat, quæ duo argumenta obſervationi & experientiæ contrariantur. Quamplurimos tales caſus collegit Schenckius l.* 4. 717.

(h) *Lib.* 15. *anat.*

(i) *P.* 763. *p.* 765.

(k) *Lib.* 24. *de monſtr. & prod.*

ſteatomate cruris Schenckius (*a*). Ex ani fiſtula calculos protractos fuiſſe per G. Schultz legitur in E. N. C (*b*). Imo in ſecundina humana lapides fuiſſe repertos aſſerit F. Zwingerus (*c*). Lapidem accretum nervo phrenico me vidiſſe memini (*d*); ut & in articulo cubiti & in glandulis inguinalibus ſemel gypſeam inveni materiem in cadavere quinque circiter annorum (*e*): ac ſatis ſic patet nullam ferme corporis partem a lapidibus liberam eſſe, & ſi credere fas eſt, integra organa lapidefacta fuiſſe teſtantur auctores. Conſule de his Le Dran, Schenckium, Thomam Bartholinum, &c.

(a) *Lib.* 5. *obſ. med. p.* 743. *Ex Kentmanno.*

(b) *D.* 1. *a* 9. *p.* 431. *figura calculorum in tabula adjecta videre eſt.*

(c) *E. N. C. d.* 2. *a* 9. *p.* 238.

(d) *Hunc mihi monſtravit in theatro anatomico Cel. Camper.*

(e) *In articulo cubiti in privatis lectionibus nobis demonſtravit idem ille Vir Clariſſimus.*

(e) *Anno* 1755, *Leidæ.*

C A-

CAPUT II.

De Calculo Veſicæ.

Licet ubique per totum corpus hoſpitium ſibi inveniat Calculus, nullibi tamen magis occurrit, quam in Veſica. Ibi quidem admodum frequenter occurrit, ſive quod urina, præ aliis humoribus ad calculum producendum ſit apta, ſeu quod in veſica aliquamdiu quieta maneat ſine motu, ac ita calculo incrementum ac ortum det.

Per urinam certe de corpore excerni laticem in quo ſales & olea putredini proxima adſunt, neque in toto corpore reperiri humorem alterum qui tam cito digeſtione ſimplici mutatur, quam urina, jam notavit immortalis Boerhavius (*a*): ac vult ſola quiete calculum verum in homine naſci ex urina putrefacta. Experimentum adfert ſane pulcherrimum. „ Lagenam puriſſimam vitream replevit ſanorum recenti lotio, ac occluſam „ repoſuit. Poſtea urinam putrefactam „ exemit

(a) *Chem, tom.* 2. *p.* 322, 323.

„ exemit, ac lagenam cruſta calculi interius
„ undique obductam invenit. Non ablutam
„ replevit nova urina, repoſuit, exemit.
„ Hæc aliquoties repetiit, ac tandem inter-
„ nam lagenæ ſuperficiem penitus materie
„ calculi incruſtatam vidit. Experimentum hoc plus ſemel repetii, ac ſemper voto reſpondebat. Lagenam quoque puram implevi ſaniſſimo lotio, repoſui per 16 horas, urinam exemi, novo lotio implevi lagenam, iterum repoſui, ac exemi, hæcque repetii per ſex ſeptimanas, ac lagenam intus inſigni cruſta calculoſa obductam non ſine admiratione vidi. Et ſane urina hominis eam habet indolem, ut omnia ſolida quæ ſine magno motu tangit, afficiat cruſta lapidea. Si quoque heterogenea in veſica adſunt, ea cruſta calculoſa obduci ſolent, quemadmodum ex obſervatione Nuckii patet (*a*) „Globulum li-
„ gneum in vivi canis veſicam urinariam im-
„ miſerat. Animal per biduum triſtius erat,
„ brevi poſt alacriter vixit, & bene comede-
„ bat. Globulus vix aliam cauſabat mo-
„ leſtiam, quam quod veſicam ad excernen-
„ dam

(a) *Adenogr. Curios. p.* 78, 79.

„ dam urinam frequentius ſtimularet. Hoc „ in ſtatu animal per aliquot ſeptimanas ſer„ vabat: obſervavit tum globulum ſupra di„ ctum exiguis calculis, quaſi totidem cry„ ſtallis, incruſtatum. Turundam quoque idem effeciſſe per infortunium in veſicam illapſam, refert paulo poſt (*a*).

Sunt alii qui lapidem in veſica naſci putant per coagulationem; inter quos Willis(*b*): „Ob„ ſervavi, inquit, nonnullos calculo veſicæ la„ borantes, qui poſtquam urinam depoſuerunt „ cum magno conatu & dolore, mucum craſ„ ſiorem & viſcidum excernere ſolebant, qui i„ lico in materiam ſquammoſam obdureſcebat.

Medicinæ parens Hippocrates (*c*) in pituita calculi cauſam ponit. „ Pitui„ ta, inquit, ſedimento permixta, glu„ tinum evadit. Ac primum parva lanu„ go accedit, deinde quod accedit are-

„ noſum

(a) *P.* 81.

(b) *De urinis p.* 166. *cap.* 5. *per coagulationem intelligit Willis ejuſmodi in corporibus alterationem, ut cum res primo teneræ & molles in materiam rigidam ac velut ſaxeam obdureſcunt. De Ferment. cap.* 12. *pag.* 42.

(c) *De morbis Lib.* 14. *p.* 512. *ibique principium calculi ex lacte oriri putat, ubi lac nutricis impurum redditur pituitoſis alimentis, tum cibis, tum potibus impuris p.* 513.

„ noſum, adjungitur, &c. Et paulo poſt: „ Sic ſane ſe habet ſedimentum in veſica. „ Dum pituitæ glutinum accedit, id quod „ ab urina liquefactum eſt, cum ea excerni- „ tur. Ipſum vero ſedimentum ſubſidet, „ condenſatur, ac ſolideſcit, velut ferrum. Huic opinioni quoque ſubſcribit Galenus (*a*), ac propterea pueris hunc morbum frequentiorem eſſe quam adultis vult, quia propter edacitatem & ingluviem crudos humores non paucos coacervant, ex quibus craſſior pars unà cum urinis ad veſicam delata, fit lapidum gignendorum materia.

Sunt Chemici qui calculi generationem, ſive concretionem, ſali attribuunt, ac putant ſal, vel, ut dicunt, Tartarum in humoribus contentum, eſſe genuinam calculi cauſam; imo contendunt materiam Tartaream per ſe ad generandum calculum proclivem atque idoneam eſſe. Huic ſententiæ maxime favet Paracelſus, eximius ille nugarum patronus. Nec Felicis Plateri opinio huic abſimilis eſt, teſte Hildano pag. 706.

Scribit Platerus in Calculoſis humorem quen-

(a) *Comm. ad Aphor. Hipp. comm. 3. aph. 26. p.*

quendam acrem, ſalſum ac (*a*) terreſtrem urinæ permiſceri, eumque Calculum efficere.

Sunt alii qui a frigore, alii qui a nimio calore calculum formari contendunt. Verum his contrarium demonſtrat laudatus Hildanus.

Mihi quidem videtur occultam eſſe in lotio qualitatem aptam ad producendum calculum : huic opinioni favere videtur aquarum quarundam indoles, quæ omnia quæ attingunt, non ſolum cruſta lapidea obducunt, ſed in verum & durum lapidem mutant. Mottrouvii ad Lacum Lemanum in ditione Bernenſi, ab alto monte aqua limpida delabitur, quæ gramen & omnia obvia in duros lapides neque in aqua neque in igne ſolubiles, convertit, ut ipſe vidit Hildanus(*b*). Ipſe quoque, cum Lugduni Batavorum ſtudiorum cauſa commorarer, in collectione Amici cujuſdam aliquot fruſta juncorum petrefacta vidi, quæ in aqua invenerat. Eandem mihi cauſam propono, cur alii in vitæ decurſu non

ſemel

(a) *Craſſum & terreum humorem calculum creare habet Ægineta lib.* 3. *cap.* 45. *p.* 354.

(b) *Pag.* 706. *cap.* 2. *de Lithot. veſicæ.*

ſemel, ſed aliquoties, calculo laborent (*a*); alii e contra nunquam. In his, urina qualitatem illam calculum creandi habet, in illis neutiquam; ſed non amplius hiſce ſpeculationibus inhærebo, & potius ſigna calculi diagnoſtica proponam.

CAPUT III.

De ſignis Calculi Veſicæ.

CAlculum itaque in veſica adeſſe quibuſdam ſignis cognoſcitur, quæ omnia paucis deſcribit divinus Hippocrates (*b*): „Hic „ autem morbus, inquit, quinque habet ſi„ gna. Cum urinam reddere vult, dolore affi„ citur, & urina paulatim velut *urinæ ſtil*„ *licidio laborantibus* (*c*) effluit: interdum ſub„ cru-

(a) *Nonne obſervamus quoſdam homines quotidie calculos mingere? imo virum novi qui plus viginti calculos cum urina e corpore eliminavit. Fere fidem omnem ſuperat obſervatio Hildani, in qua refert Civem Bernenſem intra paucos dies prope* 300 *lapillos per meatum urinarium reddidiſſe: imo idem ille intra biennium pluſquam mille excreverat, ac poſtea bene ſe habuit.*

(b) *De morb. lib.* 4, *p.* 513.

(c) στραγγουριῶσι.

„ cruenta eſt, utpote veſica a calculo ex-
„ ulcerata, & veſica inflammatione vexatur.
„ Verum id non apparet, indicio tamen eſt
„ ſumma præputii pars. Interdum arenoſa
„ per urinam reddit.

His fere reſpondent dicta Medicorum principis Celſi (*a*). „ Difficulter, inquit,
„ urina redditur, paulatimque, interdum
„ etiam ſine voluntate deſtillat. Eadem fere
„ arenoſa eſt, nonnunquam aut ſanguis,
„ aut cruentum, aut purulentum aliquid
„ cum ea excernitur. Eamque quidam
„ promptius recti, quidam reſupinati, maxi-
„ meque hi qui grandes calculos habent;
„ quidam etiam inclinati reddunt, colem-
„ que extendendo dolorem levant. Gravi-
„ tatis quoque in ea parte cujuſdam ſenſus
„ eſt, eaque curſu, omnique motu augetur.
„ Quidam etiam cum torquentur, pedes in-
„ ter ſe ſubinde mutatis vicibus, implicant".
Particulare in fœminis præterea addit ſignum.
„ Oras, ait, naturalium ſuorum fœminæ ma-
„ nibus admotis, ſcabere crebro coguntur.
„ Nonnunquam, ſi digitum admoverint, ubi

„ ve-

(a) *De medicina l. 2. cap. 7. p. 61.*

„ veſicæ cervicem is urget, calculum ſen-
„ tiunt. Sequentia ſigna ergo ſuſpicionem calculi dant.

1. Dolor adeſt in urina reddenda.

2. Stranguria, ſeu involuntarium urinæ ſtillicidium.

3. Cruor, pus, aut arenæ, aut mucus in urina conſpiciuntur.

4. Pruritus in viris ad caput penis, in fœminis ad naturalium oras ſentitur.

5. Teneſmus in urina reddenda, aliquando impoſſibilitas urinam reddendi abſoluta.

Omnia tamen hic memorata ſigna, quamquam magnam dent ſuſpicionem calculi, tamen admodum fallacia ſunt, adeſſe enim queunt ſine calculi præſentia in veſica.

Dolorem in reddenda urina, ab alia cauſa oriri poſſe nemo dubitat, qui obſervationes colligit de hominibus, qui vehementem ac pene intolerabilem dolorem in reddenda urina experti fuere, ubi tamen nullus calculus, ne quidem aliud calculi indicium inveniebatur.

Stillicidium urinæ involuntarium non magis certum præbet ſignum, illud enim ab uſu Vini Rhenani cauſatum fuiſſe, obſervavit Do-

donæu

donæus (*a*). Senex erat 82 annorum, ac ab aliis vinis, Gallico, Hiſpanico, aut rubro nullum incommodum ſentiebat.

Stillicidium etiam obſervatur frequenter, quando excreſcentia quædam aut veſicæ collum, aut intus urethram occupat: præterea ſi furfures vel ſquamulæ una cum urina exeunt: aut intus veſica excoriatur.

At Cruor, qui cum urina exit, non magis a calculo oritur, quam ab aliis cauſis; a nimia laxitate vaſorum renalium is oriri poteſt; aliquando eſt criticus. A diureticis fortioribus (*b*) interdum cauſatur: nimia Venus quoque eum producit: nimiam equitationem aut ſaltationem inſequi item poteſt.

Nec mictio purulenta a lapide ſemper producitur; quoties non Empyematici per urinam inſignem puris copiam reddunt? quoties

(*a*) *Obſ. Med. cap.* 48.

(b) Sic ab uſu Cantharidum, præter plurima alia ſymptomata, mictus cruentus obſervatus fuit. vide Foreſt. l. 24. obſ. 7. p. 122. Miſcell. nat. cur. dec. 1. ann. 9. & 10. p. 323. Pareum l. 21. cap. 35. mictum quoque cruentum habuit Fœmina quædam 50 circiter annorum, veſicatorium e pulvere cantharidum admiſto fermento panis cervici applicaverat, at poſtero die ſanguinem minxit, & gangræna cervicem occupaverat.

ties non ulceribus renum aut veſicæ inſequitur? aut quoties non poſt Gonorrhœam, Fluorem album, mictum cruentum & alia quampluri-ma mala, pus in urina conſpicuum eſt?

Arenæ vero in urina, conſpicuæ, quam-quam certum magis ſignum præbeant, ta-men a nephritide frequenter lotium quoque arenoſum obſervatur, adeoque fallit illud ſi-gnum.

Ut & pruritus ad caput penis & natura-lium oras: is oritur ſolum ex conſenſu ner-vorum; cum intus calculus in veſica eſt, in-ternos veſicæ nervos irritat, & hi commu-nicationem habent cum partibus ſupra me-moratis, & pruritum cauſant, aliæ quoque res heterogeneæ, aut ichor, aut pus, aut acre quiddam eundem effectum habent, & pruritum æque faciunt ac calculus. Ergo huic ſigno fidere non poteſt Medicus.

Teneſmus in reddenda urina, & aliquan-do eam mittendi impoſſibilitas abſoluta oritur non raro ob calculum prementem internam veſicæ membranam & orificium, præſertim ſi calculus aſper eſt & inæqualis. Poſt carunculas in veſica natas itidem inſequitur.

Sed certior paulo & minus fallax eſt ſe-quens

quens calculi præſentiam detegendi modus, ubi unius manus digitus index in anum oleo illinitus introducitur, altera manus pubi apponitur, & hoc modo, ſi adeſt calculus, durities digito deprehenditur, ex qua concludi poteſt calculum adeſſe. Hoc experimentum, quamquam prima fronte ſpecioſum & certiſſimum apparet, tamen fallere poteſt, ſi Chirurgus ſenſum tam exquiſitum non habet, ut dijudicare valeat, an calculus, an ſcirrhus, an alius tumor durus ibi lateat.

Præ omnibus vero certus calculum explorandi modus, eſt ille qui per Catheteris (*a*) in veſicam demiſſionem fit.

Inſtrumentum hoc præter uſum in calculoſis, ad urinam ſuppreſſam quoque egregium eſt, & quamplurimos veſicæ morbos. Hippocrati jam innotuit (*b*) & Galeno. Uſum ejus quam exactiſſime deſcripſit Ægineta (*c*).

„ Sumpto

(*a*) Hoc inſtrumentum a demittendo dictum eſt, nam per id aliquis liquor in veſicam demittitur; a κατὰ & ἵημι, teſte Joanne Andernaco in Annotat. ad Æginetæ lib. 6, cap. 59. p. 615.

(*b*) Quemadmodum patet ex *Galeno, lib. 5. cap. 5. meth. medend.*

(c) *Lib. 6. cap. 59. p. 615.*

„ Sumpto igitur, inquit, cathetere , æta-
„ ti & ſexui convenienti , probe ipſum di-
„ rigemus , quod hoc modo fiet : Lana
„ exigua lino deligata per medium , li-
„ noque ex acuto junco per cathete-
„ ris fiſtulam traducto , lanam foramini
„ adaptabimus , quod juxta cathete-
„ ris mucronem eſt , ac forſice præciſo
„ eo quod ex lana eminet, catheterem in
„ oleum demittemus. Ægro in ſubſellium
„ collocato , & fomentis , ſi nihil prohi-
„ bet , irrorato , catheterem in rectum
„ inferemus uſque ad colis baſim : dein-
„ de naturalia ad umbilicum inclinabimus,
„ etenim ab hac parte obliquus veſicæ mea-
„ tus exiſtit , deinde ſic cathetera adi-
„ gemus. Quum vero juxta regionem in-
„ ter ſcrotum & anum, prope Sedem fuerit,
„ rurſus genitalia , impoſito inſtrumen-
„ to, deflectemus, in naturalem reducen-
„ tes figuram, nam a perinæo veſicæ mea-
„ tus ſurſum tendit, propellemuſque cathe-
„ terem uſque dum veſicæ ſinum penetra-
„ verit: ſecundum hoc linum catheteri in-
„ jectum retrahemus, quo urina ſimul cum
„ lana attracta ſubſequatur, quemadmodum
„ in

„ in ſyphonibus accidit : atque talis de-
„ mittendi catheteris modus eſt (*a*).

In fæminis autem longe commodius quam in viris Catheteriſmus inſtituitur; illæ enim urethram & breviorem & magis amplam habent. Tum operandi modus is eſt: Fæminam reſupinare ſuper menſam oportet, a latere dextro Ægræ ſtare debet Chirurgus. Tum cruribus ab invicem diductis, ſiniſtra manu vulvæ labia diſtendat; dextra manu cathetherem ſexui convenientem, oleo inunctum per urethram in veſicam immittat. Quo rite facto, urina educitur; vel calculus, ſi adeſt, invenitur.

Hodie in viris duas habemus catheteriſmum inſtituendi methodos. Prima pro exploratione, altera in operatione calculi magis

(*a*) Non tamen ſemper cathetere calculum detegere poteſt Chirurgus. Singularem ſuper hac re a Clariſſimo Camper accepi obſervationem. Aperuit cadaver pueri octo circiter annorum. Diu puer iſte calculi ſymptomata toleraverat ante mortem. Exploratus fuit cathetere a viris in Arte expertiſſimis, nullus autem calculum detegere valuit. Poſt mortem vero facile calculum deprehenderunt. Veſica inveniebatur admodum craſſa, quartam pollicis partem æquabat, dura obſervabatur & circa calculum contracta, interne ſcirrhoſa ac inæqualis.

magis convenit. Prima ſequenti modo peragitur. Homo ſupra menſam aut lectum reſupinari debet. A latere ſiniſtro Ægri collocatus eſt Operator. Tum ſiniſtra manu blande caput penis arripit, ac colem ſurſum elevat. Dextra manubrium catheteris prehendit, extremum prudenter in urethram demittit ad os pubis uſque. Tum penem ſiniſtra manu elevat, ac juxta catheterem ventrem verſus ducit, poſtea manum dextram paulatim elevat, ac caute in veſicam demittit catheterem.

At ſecunda methodus alio modo peragitur. Siniſtra ergo manu colem Chirurgus blande & prehendit & ſurſum elevat. Tum dextra catheterem in urethram ducit parte convexa ventrem ſpectante. Ubi ad os pubis pervenit, ſenſim ac leniter catheteris ſummum a latere ſiniſtro Ægri verſus ventrem invertit (*a*), donec cava catheteris pars os pubis ſpectet, dein ſubter os pubis catheterem adigit, mox dextram elevando eum in veſicam ducit.

Conſi-

(*a*) Hanc Encheireſin Galli vocant *le tour de maître* vel *de main*, quoniam peritum poſcit Operatorem.

Conſiderandum eſt in introductione catheteris veſicæ orificium, & cavitas juxta proſtatam.

Cathetere in veſicam deducto, hinc inde blande convertere oportet, ac attente obſervare num calculus deprehendatur. Tum ſi adeſt calculus, non raro ſonus auditur, quando catheteris extremum calculum attingit (*a*). Convenit quoque aliquando Ægrum ſtantem explorare, tum enim calculus plerumque ad veſicæ orificium cadit, & catheterem tangit.

Pro exploratione calculi Sharpius uſus fuit cathetere ferreo, ſolido: hic certe quam maxime ad hunc ſcopum convenit.

Calculo jam detecto cathetere, de ejus figura (*b*), magnitudine ac duritie judicare

(*a*) Le Dran *Chir. p.* 211. notavit hoc neglecto calculum non fuiſſe deprehenſum.

(*b*) De figura autem calculi & magnitudine judicare admodum difficile eſt, ac certo determinare impoſſibile. Patet hoc ex obſervatione quam Celeberrimus Camper, Præceptor meus in æternum colendus, benigne mihi communicavit. Expertus Medicus ægrum ante Lithotomiam exploravit; certum ſe eſſe adfirmavit, calculum adeſſe durum & magnum. Extraxit tamen nihil, niſi parvos calculos ſeptem vel octo numero, nec plures adeſſe, fortiter adfirmavit. Poſt mortem tamen in veſica ſe obtulit calculus inſignis.

dicare aliquo modo valemus. Si in veſica raro catheterem tangit, & cito evaneſcit, indicium eſt calculi exigui. E contra calculi majoris ſignum eſt, quando ſimulac catheter in veſicam demiſſus eſt, ſtatim Catheter calculum offendit, & continuo inde ſonus auditur. At ſi catheter facile ſupra calculi ſuperficiem moveri poteſt, calculus lævis eſt. Sin contrarium appareat, calculus aſper eſt.

Aliquando ubi in urethra catheterem relinquere volunt Chirurgi, utuntur cathetere flexili; verum hujus in veſicam introductio admodum difficilis eſt, & ſine dolore fieri nequit. Optimi ſunt ex argento confecti, fila nempe plana argentea ſingulari modo aut ſpiræ in modum contorquentur. Fabricius ab Aquapendente *(a)* imaginatus eſt alium ex cornu paratum. Sed argenteis utendum eſt, quia magis politi ſunt, nec tam facile franguntur. Loco duorum foraminum oblongorum ad extremum catheteris, nulla Petitus commendat, & aliud catheteris genus laudat, quod foramen in mucrone habet, quodque globulo rotundo claudit & aperit, filo argenteo intus in inſtrumento incluſo.

CAPUT

(a) *Chir. Oper. p.* 537.

CAPUT IV.

De Calculi Sectione.

UBi jam de præſentia calculi certus eſt Chirurgus, ac æger magnis affligitur doloribus, vitamque degit miſeram, quo citius, eo melius ad ultimum remedium, id eſt, calculi ſectionem, confugere debet; quo diutius enim in veſica calculus reſtat, eo magis accreſcit, & major fit. Et ſatius eſt anceps adhibere remedium, quam nullum. Ab una parte quamquam vitæ periculum adſit (*a*), ab

(*a*) Nunquam enim Operator de felici operationis ſucceſſu certus eſt, licet feliciter admodum eam peregerit. Exſtant nimirum caſus, ubi aut vitio renum, aut ureterum, & non raro ab ſcirrhoſa veſica, mors acceleratur. Memorabilem hiſtoriam a Clariſſimo Campero accepi, invenit ille in puero calculoſo poſt mortem pelvim ureteris renis dextri ampliſſimam, ovum gallinaceum adæquantem, ureterem ſiniſtro amplius; pelvis erat pellucida, ac urina turgebat. Calculus orificia ureterum in veſica clauſerat, unde pelvis & ureteris dilatatio fuit cauſata. Hoc in caſu, niſi me omnia fallant, operatio nunquam cum optato ſucceſſu peragi poteſt.

ab altera parte tamen ſanitatem perfectam recuperandi ſpes reſtat.

Quando æger operationem perferre decrevit, anni tempus conſiderandum venit, ſi poſſibile, medium inter æſtatem & hyemem eligendum eſt; æſtas enim ob magnum calorem, hyems ob frigus nocet.

Ætatis quoque habenda eſt ratio. Veteres Medici admodum prudentes hac in parte fuere, imò Celſus (*a*) Lithotomiam vetuit in hominibus qui nondum novem annos fuerant nati, aut decimum quartum ſuperaverant. Hodie vero tam timidi non ſunt Chirurgi, nec requiritur. Senes quidem grandævi huic operationi non conveniunt, quoniam & vis vitalis debilitatur, & calor nativus deeſt. Pueri, infantes nimium debiles ſunt, & ob ſuam imbecillitatem operationem perferre nequeunt, ob ingentem dolorem & hæmorrhagiam, quæ operationem hanc non raro concomitatur. Decrepita ergo ſenectus, & tenelli infantes hanc operationem non ferunt.

Calculoſos quoque debito modo præparare ad

(a) *De medic. p.* 475.

ad operationem oportet, debitam eis præſcribit Medicus vivendi rationem, præſertim, quoad cibum & potum. Dein corpus blande purgare convenit, & pro re nata V. S. inſtituere. His peractis, operatio inſtituenda eſt, quæ variis modis peragitur, qui ad ſequentes quatuor rediguntur, ſcilicet:

Apparatu parvo;
Apparatu magno;
Apparatu alto, &
Operatione laterali.

CAPUT V.

De Apparatu parvo.

ISta calculi Sectio quidem commodiſſima eſt, quæ parvo fit apparatu, at raro convenit. Antiquiſſima eſt, eamque deſcripſit Celſus: *(a)* „ Medicus diligenter præciſis unguibus, ſiniſtræ manus digitos duos indi-„ cem

(a) *Lib.* 7. *pag.* 476. *cap.* 26.

„ cem & medium, leniter prius unctos oleo, „ ſimul in anum demittit, dextræque digi„ tos ſupra imum abdomen leniter imponit. „ Ac primum circa cervicem quæritur calcu„ lus, ubi repertus, minori negotio ex„ pellitur. Si vero aut ibi non fuit, aut „ receſſit retro, digiti ad ultimam veſicam „ dantur, paulatimque dextra quoque ma„ nus ejus ultro tranſlata ſubſequitur (*a*). „ Cum jam eo venit ut ſuper cervicem ſit, „ juxta anum incidi cutis plaga lunata uſque „ ad cervicem veſicæ debet, cornibus ad „ coxas ſpectantibus paululum, deinde ea „ parte, qua ſtrictior ima plaga eſt, etiam„ num ſub cute, altera tranſverſa plaga fa„ cienda eſt, qua cervix aperiatur; donec „ urinæ iter pateat, ſic ut plaga paulo ma„ jor quam calculus ſit (*b*). Cum via per„ fecta eſt, in conſpectum calculus venit: ſi „ exiguus eſt, digitis ab altera parte propelli, „ ab altera protrahi poteſt. Si major, inji„ ciendus a parte ſuperiore uncus eſt. Ubi „ ſatis teneri calculum patet, triplex motus

„ ad-

(a) *Ibid.* p. 477.
(b) *Ibid.* p. 478.

„ adhibendus. Paulus Ægineta (*a*) non minus accurate hanc operationem deſcribit, ante ſectionem quoque concuſſione utendum voluit, per famulos, aut per ipſum ægrotum ex loco alto deſilientem, quò calculus ad veſicæ cervicem propellatur; ægri præterea ſitum deſcribit & operationem hanc accuratiſſime tradit.

Hæcce operandi methodus a paucis laudatur, a quamplurimis culpatur. Sunt qui eam pernicioſam eſſe autumant, quando in veſica calculus deliteſcit; alii hanc operationem ſolummodo convenire contendunt, ubi calculus in urethra hæret, & per virgam educi nequit. Qui mediam inflectunt viam, & excellentiſſimum Celſum ſequi malunt, melius faciunt. In pueris a nono anno ad decimum quintum, convenit hic operandi modus, & in omnibus inſtitui poteſt, in quibus calculus ad perinæum duci poteſt. Et in his certe facillima & ſimpliciſſima eſt methodus. Præterea hoc habet commodum, quod paucis inſtrumentis, imo interdum ſolo ſcal-

(a) *Lib. 6. cap. 60. p. 616. Albucaſis quoque accurate ſcripſit de hac method. part. 2. Cap. 60.*

ſcalpello peragatur, ideoque ægris non tantum incutiat terrorem, quam ſi Lithotomus ingenti ſerie inſtrumentorum ægrum aggrediatur.

At in grandioribus, robuſtis ac obeſis hominibus, iſta operatio impoſſibilis plane eſt, quia tum calculus dicta encheireſi nec ad veſicæ cervicem duci, nec ſatis tuto extrahi queat poſt ſectionem. Silentio jam præteribo alia commoda quæ Celſiana habet methodus, nam nec cathetere lædi poteſt urethra, & ſectioni laterali primum fundamentum dedit. Et ſi nobis objicitur hanc methodum a præſtantiſſimis in arte viris rejici, ab alia parte habemus exempla contrarium demonſtrantia; ingens enim illud Chirurgiæ quondam lumen Heiſterus feliciter eam peregit, & plurimi in quibuſdam caſibus hanc aliis præponunt, & pleraque incommoda, ut ſunt vulneratio & contuſio partium vicinarum, potius incauto Operatori, quam methodo, adſcribunt.

CAPUT

CAPUT VI.

De Apparatu Magno.

SI vero aut parvo apparatu ſectio calculi impoſſibilis eſt, aut eum rejicit Chirurgus, apparatum adhibere poteſt magnum. Hic quidem magnam requirit inſtrumentorum copiam, ac idcirco apparatus magnus vocatur. Hujus methodi prima inventio Joanni de Romanis tribuitur; & dein a Mariano Sancto *(a)* deſcripta fuit; unde quoque Mariana methodus vocata fuit.

Inſtrumenta quæ in hac methodo deſiderantur, ſunt ſequentia.

1. Catheteres ferrei ſulcati varii pro corporis magnitudine.
2. Culter Lithotomus linteolo ad apicem uſque ferme involutus.
3. Duo itineraria, ſeu Conductores, quorum alter mas, alter fæmina vocatur, quia fæmina

(a) *De lapide veſicæ per inciſionem extrahendo teſte Heiſt. ch. p.* 862.

fæmina mucrone bifurcata, dorſum in media maris parte recipit, & ſupra eum movetur.

4. Forcipes variæ magnitudinis, tum rectæ, tum curvæ.

5. Inſtrumentum una parte cochleari, ab altera noduloſo glande inſtructum, quibuſdam lapidillum vocatur, Gallis *bouton.*

Æger debito modo præparatus ſupra menſam locari debet; de ejus poſitura non omnes conveniunt: quidam in integrum ægrotum reſupinari volunt, pulvinari ſub capite ſolummodo poſito: alii ægrum tam alte elevant, ut ejus corpus cum horizonte angulum 45 graduum ferme efficiat. Cujus rei aliam non video rationem, niſi fortaſſe calculus hoc ſitu ad veſicæ cervicem magis appropinquet; ſed hoc non magnum in ſectione adfert commodum, nam forceps paulo longior calculum æque facile prehendere poteſt in fundo veſicæ, quam brevis in cervice ſitum lapidem. Situm horizontalem, ſive priorem ego præferrem, ſequentem ob cauſam; tum enim neque inteſtina, neque alia viſcera abdo-

dominalia veſicam premunt verſus inferiora, quod in alia poſitione fit præſertim ſi ejulatu hanc preſſionem adjuvat æger, tum vero facile veſica in rugas contrahitur, & nimis libere hæret, & una cum calculo per forcipem prehenditur, quod admodum periculoſum, & quandoque lethale eſt.

Ægro ſuper menſam reſupinato, manus pedibus alligantur, & crura divaricantur, quæ a duobus miniſtris firmiter tenentur, tertius miniſter ſcrotum elevat, & cutem perinæi duobus anterioribus digitis tendit: ſunt alii qui ægri caput & firmum tenent, & ſuſtentant.

Operator poſt catheterem introductum, ejus curvatura contra perinæum premit, ut conſpici poſſit ſiniſtrorſum paululum ubinam inciſio debeat inſtitui, quo rite explorato, lithotomum Operator adhibet, & circa ſiniſtram & mediam perinæi partem haud procul ab ejus ſutura, inciſionem peragit, incipiendo immediate infra ſcrotum, & finiendo ferme ad latus ani, per cutem & pinguedinem primo ſecat, convenit tum digitis explorare ubinam catheteris ſulcus ſit poſitus, quo rite attacto, urethram deorſum ver-

ſus ita incidit, ut ad ſulcum catheteris pertingat culter, tum nonnulli ſectionem urethræ peragunt incipiendo ab inferiori parte; alii contrario modo (*a*), ſed hoc perinde eſt, mucrone ſcalpelli ſemper in ſulco retento.

Poſtea lithotomum retrahit, & apicem digiti indicis, ſive unguem ſiniſtræ manus in ſulco catheteris ejus loco tenet, prehendit tum conductorem marem, eumque juxta digitum ſupra ſulcum catheteris in veſicam protrudit, deinde catheterem ex veſica per urethram educit, ac conductorem fæminam ſupra dorſum alterius conductoris dirigit ad extremum ejus, imo uſque in veſicam urinariam. (*b*) Hoc peracto bini iſti conductores ab

(*a*) Plaga ſive inciſio urethræ extendi debet per bulbum ad initium cervicis veſicæ, quod facillime fit, ſi tempore quo inciſio peragitur, curvatura catheteris firmatur infra os pubis ſurſum verſus, quemadmodum Le Dran, aliique commendant.

(*b*) Loco horum conductorum nonnulli utuntur uno ductore quem Galli *Gorgeret* vocant, alii ductorem Hildani, extremum hujus inſtrumenti per ſulcum catheteris in veſicam demittunt, tum urina ſi qua in veſica adeſt, ſtatim effluit, ac Operatorem certum reddit ſe in veſicæ cavum penetraſſe, tum hoc inſtrumento veſicæ cervicem dilatare conatur, ac poſtea ſupra hunc ductorem forcipem adigit.

ab invicem leniter & caute, ope manubriorum diducuntur, & ſenſim veſicæ cervix dilatatur: hoc facto, inter binos iſtos ductores forceps conveniens in veſicam demittitur, quo parumper cervicis dilatatio augetur, ac adjuvatur: alii ante forcipis in veſicam demiſſionem, digitum indicem oleo imbutum, inter conductores protendunt per veſicæ collum, & ſenſim leniterque dilatant, quod improbare non audeo.

Forcipe in veſicam introducto, eum invertat Chirurgus oportet, ut certior ſit, eundem jam in veſica eſſe, & ſi tum facili modo aperire eum queat, indicium eſt in cavo veſicæ exiſtere; ſi vero non facile aperitur, retrahere neceſſe eſt, ut cautius immittatur.

Conductoribus retractis, forceps clauſa ad veſicæ fundum uſque demittitur, & totam veſicam undique curioſe, ac accurate perſcrutatur operator, donec calculum ipſum attingat; tum caute forcipis extrema ab invicem diducuntur, &, ſi fieri poteſt, calculus prehenditur; ubi ſatis teneri eum patet, triplex motus adhibendus eſt in eo protrahendo, tum verſus inteſtinum rectum, tum in latera, donec tandem in integrum calculus protractus fue-

rit. Poſt extractionem calculi, convenit veſicam examinare, an alius fortaſſe calculus lateat. Huic ſcopo egregie convenit inſtrumentum Gallis *Bouton* dictum, & ſi parvæ arenulæ, vel lapides adſint, eas cochleari ad hujus extremum adfixo, eximere oportet; at calculus immiſſa denuo forcipe extrahitur.

Plurima ut ſecum fert hæc methodus incommoda, ſic quoque ſua commoda habet, quibus Celſiana methodus caret. Ad fundum veſicæ deliteſcentem lapidem prehendere poteſt Operator. Æque facile in adultis inſtitui poteſt, quam in junioribus. Verum incommoda quæ habet, ſunt majoris momenti. Silentio prætereo hæmorrhagiam ob læſionem vaſorum, at dilatationem ingentem, & plerumque lacerationem partium damno. Inciſio externa nimis parva eſt, & quando verſus inteſtinum rectum eam prolongare vult Chirurgus, hoc inteſtinum lædat neceſſe eſt, ni admodum cautus ſit: ſuperiora verſus inciſionem ampliando ſcrotum lædit & membranam ejus cellulofam ecchymoſis occupare poterit, ejuſque ſequelæ. Inſtrumenta ſecundo difficulter in veſicam ducuntur. Immiſſio digiti, dilatatio conductoribus peracta

acta & forcipe, nihil efficiunt præter lacerationem cervicis veſicæ & partium vicinarum, præterea, cervicis & colli inciſio & minus periculoſa & minus moleſta eſt; extractio calculi cauſat veſicæ contuſionem, & lacerationem inſignem, quam non raro aut mors, aut urinæ incontinentia, aut perinæi fiſtula inſequitur.

Experimenta præterea Clariſſimi Louis (*a*) confirmant, quod calculi extractio ſemper difficilis ſit cum apparatu magno, quod glandulæ proſtatæ ſint admodum contuſæ, & ſæpe a collo veſicæ ſeparatæ, quod veſica ipſa aliquando ab oſſe pubis fuerit ſeparata, ob rupturam ligamentorum, quæ eam oſſibus pubis adnectunt. Lacerationem hanc adſcribit reſiſtentiæ quam proſtata effecit in extractione calculi, & pravæ directioni inciſionis externæ. Hæc incommoda quæ ſecum trahit Apparatus magnus, aliam excogitandi methodum anſam præbuerunt.

(a) *Mem. de l'Acad. Roy. de Chir. tom.* 2. *p.* 626.

CAPUT VII.

De Sectione Laterali.

ANno circiter 1697 Lutetiam Pariſiorum venerat Monachus quidam, Jacobus nomine, qui novam, & magis tutam methodum ſe ſcire affirmabat, qua calculum e veſica educebat. Methodus illa forſan Laterali ſectioni fundamentum dedit. Imprudenter quamvis & inſcius calculoſos ille ſecabat; tamen ejus methodus ab aliis exculta, & magis perfecta, cum ſucceſſu inſtituta fuit.

Monachus ille, ſeu Eremita ſequenti modo operationem inſtituebat. Homine rite collocato & detento, catheterem ferreum rotundum ſine ſulco, craſſiorem vulgaribus, more conſueto in veſicam introducebat; gibba ejus parte verſus ſiniſtram perinæi partem detenta, ſcalpellum lithotomum ab ani parte proxima ſurſum verſus ducebat, primo recta plaga pollicem diſtante a perinæi ſutu-

ra, dein oblique ad mediam perinæi partem adſcendente, omnia ſecabat ad catheterem uſque, tum veſicæ collum, tum ipſam veſicam, ſalva ſolum manente urethra reliqua. Digitum deinde in veſicam immittebat, calculum quærebat; quo invento, inſtrumentum peculiare in formam cochlearis oblongi conſtructum, per vulnus in veſicam intromittebat, ſupra hoc inſtrumentum forcipem, qua calculum prehendebat; tum cathetere retracto, calculum prompte admodum extrahebat.

Lateraliter quidem hac methodo operationem peragebat Frater Jacobus; attamen interdum ſolummodo veſicæ collum ſecabat, non raro inteſtinum rectum lædebat. Cathetere ſine ſulco utebatur, & ſic non arte, ſed fortuna juvante, operationem peragebat.

Eventus quoque docuit ſucceſſum infelicem inſecutum fuiſſe: cum imprudenti hac Sectione e ſexaginta calculoſis, quos Jacobus ſecaverat, viginti quinque vitam cum morte commutarunt, tredecim ſanitatem recuperavere; viginti duo reliqui aut fiſtulam in perinæo habuerunt, aut urinæ incontinentia labora-

runt (*a*). In cadaveribus, quibus calculum extraxerat, invenerunt frequenter urethram in totum a veſica abſciſſam, in aliis gangrænam, aut ſphacelum veſicæ & partium circumjacentium ; in aliis inteſtinum rectum perſciſum invenerunt, in quibuſdam fundum veſicæ læſum, imo laceratum, ita ut potius methodus illa damnanda (*b*) ſit, quam laudanda.

Ex vitiis vero alterius ſapiens emendat ſuum, & poſt hunc Monachum alii fuere qui methodum ejus amplexi ſunt, ſed operationem multo prudentius, & magis ſcientia Anatomica, eximio illo, & firmo totius Medicinæ fundamento, imbuti, inſtituerunt. Inter eos & forſan primus, clariſſimum illud artis Apollineæ lumen, fuit Ravius, qui poſtquam Monachum calculi ſectionem peragere viderat in Hollandia, cito didicit ex cadaveribus

(*a*) Merius hoc refert in peculiari libello Pariſiis 1700 edito.

(*b*) Amſtelædami tamen cum ſucceſſu, & feliciter operationem pro calculo inſtituit Jacobus. Ex vita ejus a Vachero conſcripta, patet Ampliſſimum urbis hujus Magiſtratum ei dono dediſſe aureum numum valoris ducentorum florenorum, ſcilicet, 400 *Livres*: Inſcriptione, PRO SERVATIS CIVIBUS.

ribus eorum, qui intra Jacobi manus tributum naturæ ſolverant, hanc operationem revera eſſe commendabilem & eximiam, modo bene inſtitueretur, & ſucceſſum infelicem cauſatum fuiſſe inſcitia, & imprudentia Monachi. Ravius igitur hanc operationem pro calculo longe emendavit, & catheterem adhibuit ſulcatum. Ægrum horizontaliter reſupinari voluit ſupra tabulam juſtæ altitudinis, clunibus cum margine reſpondentibus, pedibus ligatis, & divaricatis cruribus ope duorum miniſtrorum.

Cathetere vulgari craſſiore introducto, manu ſiniſtra prehendebat ſummum catheteris, & paululum inclinabat verſus inguen dextrum ægri, quo gibba catheteris pars in perinæo ſe oſtenderet ad ejus latus ſiniſtrum, ubi inciſionem peragere volebat Operator, tum inciſionem faciebat a parte ſuperiori, inferiora verſus, ſatis magnam, ſe extendentem ad latus ani, ſolummodo per cutem & pinguedinem, nec nimis appropinquabat ad anum, ut vitaret inteſtinum rectum, nec ad tuber oſſis iſchii, ne perderet catheterem.

Facta prima inciſione, digito vulnus explorabat, & poſt hanc explorationem, pru-

denter ac lateraliter ſectionem continuabat, tum ſulcum catheteris digito quærebat, quo deprehenſo, extremum Lithotomi in eum demittebat, & juxta hunc ſulcum ſcalpellum in veſicam ducebat, veſicæque collum non admodum magno vulnere aperiebat.

Tum retracto Lithotomo, digito explorabat magnitudinem plagæ inflictæ, qua rite notata, conductorem marem juxta cavum catheteris in veſicam protrudebat, ſupra marem fæminam immittebat, intra quos conductores poſtea forcipem, qua calculum educebat.

Feliciter admodum, & felici cum ſucceſſu Lithotomiam hac methodo exercuit Ravius, imo ipſe adfirmabat, ſe hoc modo veſicam ſine læſione proſtatarum glandularum ſecare, quod tamen Galliæ & Angliæ Chirurgi vix credere, & contrarium evincere ſtudent.

Methodum hanc Ravius dum erat in vivis, divulgare noluit, ſed poſt ejus mortem ſummus Albinus eam cum Medicis communicavit in peculiari deſcriptione methodi Ravianæ.

Præ aliis ſupra memoratis modis hæcce operatio præponenda, quia inciſione latera-

li

li veſicam aperit multo commodius ac tutius, quam laceratione apparatus magnus.

Methodum hanc poſtea adhucdum corrigere tentarunt magni nominis Chirurgi, & inter alios magnum illud Britanniæ decus Cheſeldenus. Is poſtquam apparatu alto mira felicitate calculoſos ſanaverat, Ravii quoque methodum experiri voluit, fama tanti viri procul omni dubio excitatus, varia deinceps in methodo hac emendare ſtuduit.

Sequenti ergo modo operationem inſtituit.

Ægrum eodem modo collocat ac Ravius. Catheterem in veſicam demittit, & ſummum ejus inclinat verſus inguen dextrum ægri, ſicque miniſter eum retinere debet una manu, dum altera ſcrotum elevat, hoc modo catheter urethram contra os pubis firmat, & gibbam catheteris partem dirigit verſus medium inter anum & tuberoſitatem oſſis Iſchii.

Inciſionem inchoat a latere ſiniſtro perinæi, paulo altius quam eſt origo muſculi erectoris penis. Hanc inciſionem extendit uſque ad medium inter anum & tuber oſſis Iſchii. Si plaga non ſatis profunda una ſectione inflicta fuerit, alteram ſuperaddit; in-

dice

dice manus ſiniſtræ poſtea Operator ſulcum catheteris quærit, quo melius & certius apicem lithotomi in eum demittat, & partem urethræ membranaceam ſecat circa proſtatam glandulam, tunc cultrum lateraliter dirigit verſus muſculi erectoris originem, & juxta ſulcum catheteris ad extremum ejus uſque ducit in veſicam, ſecando collum veſicæ, ejus Orificium, & proſtatam glandulam; quo facto, lithotomum retrahit, & tunc inſtrumentum *Gorgeret* introducit, & ſupra illud forcipem, qua calculum extrahit.

Hæc methodus egregia quidem eſt, ſed difficultas magna inde oritur, quod catheter a miniſtro retineatur, quæ tamen tollitur, ſi miniſter attentus, & probe gnarus ſit: reliqua quæ ſuperveniunt ſymptomata, parvi ſunt momenti.

Ex duobus ſupra dictis calculum eximendi modis, ſuum procul omni dubio procudit Galliæ celeberrimus Chirurgus Le Dran. Noverat quippe ſucceſſus Ravii, & Cheſeldeni methodum, ac curationem felicem acceperat. Ingenioſe ergo ſuam operationem pro calculo & excogitavit, & dexterrime peregit.

Hæc eſt ejus methodus:

Duo-

Duobus peculiaribus inſtrumentis utitur, quæ delineata ſunt in tabula de operationibus Chirurgicis libro adnexa; primum vocat *la ſonde à bec*, ac alterum *le Biſtouri en Rondache*.

Æger debito modo collocatus rite retinetur. Tunc catheterem ſumit, & in veſicam debito modo demittit; ſupra ſulcum ejus lithotomum vulgarem, facta prius inciſione. Deinde in ſulcum immittit conductorem roſtratum, & juxta eum in veſicam adigit: poſtea catheterem e veſica retrahit, conductore calculum, ac ejus magnitudinem & figuram explorat; porro cavum conductoris vertit verſus medium inter anum & oſſis iſchii tuber; tandem ſcalpellum ſumma parte rotundum, ſupra cavum conductoris lateraliter in veſicam immittit, & ſic ſecat urethram, collum veſicæ, & proſtatam, a parte anteriori & laterali ſiniſtra. Retracto cultro, ſupra conductorem immittit inſtrumentum *Gorgeret*, & retracto conductore, forcipem, qua calculum prehendit, & extrahit.

CAPUT VIII.

De Apparatu alto.

PEtrus Francus anno 1560. Lauſannæ operationem hanc neceſſitate coactus, inſtituit. Sectio in perinæo ob magnitudinem calculi, impoſſibilis erat, tamen ut puerum ſervaret, & a diro hoſte liberum faceret, parentum precibus motus, ſectionem ſupra os pubis inſtituit, ac feliciter calculo educto, ſanitati priſtinæ reſtituit. Hicce operandi modus, *Methodus Franconica* fuit dicta, ab aliis *Sectio Hypogaſtrica*, quod in hypogaſtrica regione operatio peragebatur.

Eſt ergo ille ſecandi modus, quo facta in medio hypogaſtrio inciſione, veſica cultro aperitur, in membranacea ejus parte, inter os pubis & ejus fundum. Optimus hanc Sectionem peragendi modus, hic eſt. Ægro debito modo collocato, & detento, veſicam primo implere oportet aqua calida, ut ſupra oſſis pubis altitudinem adſcendat, quod digitis facillime depre-

deprehenditur: veſica rite impleta, inciſionem Operator facit, & longitudinaliter ſupra lineam albam, cutem cum pinguedine ſecat: incipit autem hanc inciſionem quatuor circiter digitos tranſverſos infra umbilicum, eamque extendit ferme ad ligamentum penis ſuſpenſorium uſque, ſpatio pollicis relicto.

Caute ac prudenter inter duos muſculos abdominis rectos per lineam albam pergit, donec veſicam detegat; tunc eam veſicæ partem eligit, quæ a peritonæo non inveſtitur, ibique extremum ſcalpelli in veſicam adigit, & inciſionem eadem directione, qua in linea alba facit; indicem manus ſiniſtræ in veſicam demittit, quo veſicæ latera, & fundum ſuſtentat, & ſectionem veſicæ ipſius faciliorem reddit.

Veſica ſatis aperta, forcipe calculum quærit & eximit: quod facile fit, ſi inciſio in linea alba ſatis magna fuerit: ſecus lacerationem cauſari poteſt.

Multi hanc ſecandi methodum primum amplexi fuerunt; plurimi eam poſtea rejecerunt.

In quibuſdam convenit, in aliis minus; operatio hæc præſtat aliis, quod nunquam fiſtu-

la

la in perinæo inſequitur, nec eam comitatur incontinentia urinæ; præterea non adeo periculoſa eſt quam reliqui modi.

Verum non ſemper poſſibilis eſt aquæ tepidæ in veſicam injectio, quæ præterea ſine magno dolore fieri nequit, præſertim ſi intus inflammatio, aut ſuppuratio deliteſcit, & ſi imprudens ſectio peritonæum lædit, urina quoque facile in abdominis cavum penetrat, ac mala ſymptomata producit. Inſuper quia celluloſa membrana inter veſicam & os pubis impoſita eſt, ſuppuratio ibidem metuenda (*a*).

Curatio vulneris difficillima interdum eſt, urina continuo deligationem ſolvit & glutinationem per emplaſtra ferme impoſſibilem reddit, præſertim ſi ægri ætate provectiores ſunt.

In quibuſdam ergo caſibus, aut neceſſitate coactus eam inſtituere debet Chirurgus.

(*a*) Dantur tamen caſus, in quibus peritonæi ſectio non admodum metuenda eſt. Inter quamplurima obſervata memorabilem caſum in Theatro Anatomico Franequeræ demonſtravit celeb. Camperus. Vir veſicam adeo magnam habebat, ut ſupra umbilicum adſurgeret.

CA-

CAPUT IX.

De modo quo Calculoſos ſecat Frater Coſmus.

FRater Coſmus peculiari utebatur inſtrumento, quod vocant, *le Lithotome caché*, elegantiſſime expreſſum eſt a celeberrimo Louiſio (*a*). Eſt ſcalpellum, ſive *culter*, qui longitudinem habet quatuor pollicum cum dimidio, occultus eſt intra duas laminas ferreas, hæ laminæ penetrant & adfixæ ſunt manubrio ligneo, cujus ope apertura cultrum inter & laminas ad apicem determinatur. Excogitatum fuit hoc inſtrumentum ea de cauſa, ut Operator certus foret de magnitudine inciſionis; ſed an huic ſcopo ſatisfaciat, dubito.

Homine convenienti modo collocato, catheter ſulcatus in veſicam demittitur. Miniſter

(a) *In Mem. de l'Acad. Roy. de Chir. tom.* 3. *p.* 656.

niſter una manu ſcrotum, altera catheterem ſuſtentat ac ita dirigit, ut angulum rectum efficiat cum corpore. Operator cutem tendit in perinæo duobus anterioribus ſiniſtræ manus digitis, & a latere perinæi inciſionem facit, deſcendendo verſus tuber oſſis iſchii, ad minimum per 2½ pollicum longitudinem in adultis.

Poſtquam prima hac ſectione cutem & pinguedinem penetravit, indice ſiniſtro ſulcum catheteris detegit, & mucronem inſtrumenti ſui in eum demittit, tum ſiniſtra catheterem prehendit, & dextra juxta ſulcum catheteris ſuum inſtrumentum dirigit, & in veſicam adigit, quo facto, catheterem retrahit.

Dein extrema parte inſtrumenti explorat magnitudinem calculi, qua explorata, manubrio limites ponit inciſioni.

Hoc peracto, laminas firmat infra angulum oſſis pubis, & aperit inſtrumentum lateraliter verſus tuber oſſis iſchii, apertum extrorſum trahit: tum calculum forcipe immiſſa extrahit.

Hicce operandi modus incertus eſt, nunquam enim inciſio reſpondet exacte

manubrio. Experimentum inſtitui, ad ſeptem lineas inſtrumentum apertum habui, & inveni in cadavere glandulam proſtatam non ſolum fiſſam per medium, verum & veſicæ pars poſterior læſa erat; in aliis inciſionem nimis parvam; in quibusdam læſionem veſicularum ſeminalium obſervavi, in nonnullis poſterior veſicæ pars læſa erat.

Cito quidem operatio & facile peragitur; attamen tuto eam præſtare impoſſibile eſt.

CAPUT X.

Methodus Cl. Le Cat.

MAgis placet methodus Clariſſimi Le Cat, celebris Chirurgiæ Profeſſor Rothomagenſis, hanc aliquoties ſub ejus auſpiciis in cadaveribus peregi, cum ſtudiorum cauſa Rothomagi degerem.

Æger debito modo collocatur, Operator

immiſſo in veſicam cathetere, eum miniſtro a latere ſiniſtro ægri tradit, qui manu dextra eum firmiter tenet & urethram tendit, tum manu ſiniſtra cutem perinæi tendit, & dextra adhibito lithotomo peculiari a latere ſulcato, incidit cutem & pinguedinem ad bulbum urethræ uſque, tum infra bulbum huncce catheteris ſulcum quærit, quo invento, cuſpidem lithotomi in eum immittit & urethram aperit, hoc facto, lithotomum ſiniſtra manu prehendit, ac dextra alium cultrum a latere quoque ſulcatum ſupra lithotomi cavum in catheterem ducit, tum manubrium ſecundi cultri (quem Cyſtotomum vocat Vir Magnus) toto pugno prehendit, & lithotomum retrahit; retracto lithotomo, Operator ſe elevat & ſiniſtra manu manum miniſtri amplectitur, ac ſummum catheteris inclinat verſus inguen dextrum, tum Cyſtotomum juxta catheterem in veſicam demittit, & retrahit apice ſupra catheterem retento, tum inſtrumentum *Gorgeret* ſupra cavum cyſtotomi in catheterem & juxta eum in veſicam demittit, tum poſtea forcipem, qua calculum prehendit & extrahit. Cautus & ſciens

ſciens hic requiritur miniſter, qui catheterem debito modo ac firma manu retinet, per motum enim catheteris inciſionem interdum duplicem, præſertim in veſica, infligere poterit Operator, quod in cadavere invenit laudatus ſupra Camperus celeberrimus.

Quando calculus nimis magnus eſt, aliud peculiare inſtrumentum adhibet, quod vocat *le Gorgeret Cyſtotome*, quod in media parte fiſſum eſt, ac ope gynglimi aperiri poteſt, per cochleam a latere ejus appoſitam, apici hujus admodum ingenioſe excogitatum cultellum adfixit, quod inſtrumentum vices cyſtotomi ſuſtinere poteſt.

Peculiari libro hanc methodum deſcripſit Clariſſimus Le Cat, & figuras adjecit.

Dexterrime certe & admodum feliciter calculoſos ſanat; ab amico cum Rhotomagi eram, relatum mihi fuit, Virum hunc celeberrimum intra dimidium horæ ſpatium decem a calculo liberaſſe & poſtea ſanaſſe, qui ſucceſſus ſane omnem fidem ſuperat. In hac operandi methodo, glandula proſtata per medium ſecatur ferme in integrum, & nullum in extrahendo calculo præbet obſtaculum, ſi calculus mediocris eſt magnitudinis.

Nec hac methodo hæmorrhagia metuenda eſt, quæ alias cauſatur a læſione vaſorum: extractio quoque calculi facilis eſt, quia parva admodum reperitur reſiſtentia. Plurima ſuper hanc methodum cum Viro Cl. feci experimenta in cadaveribus, quæ ſemper ex voto ſucceſſerunt.

CAPUT XI.

De Methodo Foubertiana.

AT difficilior paulo eſt methodus illa, quam invenit dexterrimus Pariſiorum Chirurgus Foubert.

Hujus methodi deſcriptionem dedit in Mem. Acad. Reg. Chir. & octo tabulis illuſtravit.

Ipſum veſicæ corpus tangit & ſecat, intacto ejus collo & cervice. Inſtrumenta quoque peculiaria adhibet.

Primo acu triangulari cannula incluſa utitur, ſupra hanc cannulam videre eſt ſulcus:

hac acu perforat corpus veſicæ inter ejus uretherem ſiniſtrum & orificium.

Secundo, peculiarem cultrum habet, quem ſupra dictum cannulæ ſulcum poſtea in veſicam demittit. Lamina cultri hujus cum manubrio angulum facit obtuſum. Hæc eſt ejus operandi methodus: Priuſquam calculum ſecat, veſicam hominis calculoſi aqua calida implet, quemadmodum in ſectione hypogaſtrica. Tum ægrum eodem modo collocat ac in apparatu magno, pulvinar ſupra ventrem applicat, quo veſica prudenter verſus perinæum premitur, ſcrotum a miniſtro retinetur. Tum Operator indicem ſiniſtræ manus in anum demittit, quo inteſtinum rectum ad dextrum ægri latus ducit, & ſumpta acu triangulari cum cannula eam immittit inter anum & tuber oſſis iſchii, ita ut ab ano punctura per pollicis longitudinem diſtet, & tres lineas ab iſchio: penetrat inſtrumentum hac punctura ſtatim in veſicam, quod cognoſcitur ab effluente urina per ſulcum.

Tunc indicem ex ano retrahit & ſiniſtra manu acum triangularem cum cannula prehendit, & dextra lithotomum ſuum amplectitur, quem, dorſo laminæ applicato ſulco

cannulæ, (poſtquam acum retraxit,) in veſicam adigit, tum oblique ſuperiora verſus corpus veſicæ incidit, elevando cultri extremum; hoc facto, eum retrahit ſecando muſculos, pinguedinem & cutem parallelo modo ad inciſionem ipſius veſicæ.

Per hanc aperturam ſuum *Gorgeret* introducit, ac ſupra hoc forcipem qua calculum educit.

Menſe Majo anni 1731. primo operationem hanc inſtituit Foubertus, ac expertus fuit, quod injectio aquæ tepidæ in veſicam non ſolummodo dolorem inſignem ægro adferret, verum inſuper quod dolor ægros motum facere cogeret, quo magnam aquæ copiam amittebant. Propinavit igitur ægro magnam liquidi copiam, & urinam retinere ſuadebat pridie veſperi ante operationem, & menſe Aprili 1732. calculum extraxit inſignem.

Menſe Octobri ejuſdem anni a calculo liberavit hominem 60 annos natum.

Anno 1735. alium 28. annorum etiam cum ſucceſſu a calculo liberum fecit.

Aprilis 12. anni. 1736. itidem cum ſucceſſu inſtituit hanc operationem in juvene 17. annorum.

Quin-

Quinque hæ operationes cum ſucceſſu peractæ fuere. Attamen poſtea ſua quoque incommoda hæcce invenit methodus. Quando non ſatis veſica eſt impleta, acum extra veſicam protrudit facile. Si magna ſupervenit ſuppuratio, exitum non ſatis liberum pus invenit; unde ſe nonnunquam in membranam celluloſam deponit, quam non raro inflammatione, ſuppuratione, & gangræna afficit.

CAPUT XII.

Methodus Thomæ.

THoma Chirurgus Noſocomii (*de Bicêtre*) aliam adhuc calculoſos operandi methodum invenit, aperit etiam corpus veſicæ, ſed alio modo, & unico inſtrumento, licet compoſito.

Inſtrumentum hoc conſtat cannulata acu, cujus extremum lanceolatum eſt, & ſcalpello recto 2½ pollicum longo, quod ſupra cannulam

reconditur. Summum hujus inſtrumenti caudam habet ſemilunatam, qua cultelli apertura determinatur. Ingenioſe inſuper adaptatus eſt circum cannulam conductor, ſeu *Gorgeret*, quem facta ſectione, extracto reliquo inſtrumento, relinquere poteſt Operator.

Aqua calida veſicam primo adimplet. Ægro ut oportet collocato, miniſter pulvinar abdomini imponit & ſcrotum ſuſtinet. Tum Operator in veſicam inſtrumentum adigit a latere perinæi infra os pubis. Aqua per cannulam effluens, indicium eſt veſicam perforatam eſſe.

Vertit tunc ſcalpellum oblique verſus ſiniſtram clunem ægri, tum aperit: relicto conductore apertum retrahit reliquum inſtrumentum, ſecando inferiora verſus omnia quæ obvia ſunt.

Sic ipſum veſicæ corpus ſecat quemadmodum quoque Foubertus. Immiſſa ſupra ductorem forcipe calculum extrahit.

Facile tunc calculus foras trahitur, etiamſi magnus ſit. Juvenem hac methodo ſanatum vidi, quem ipſe Thoma mihi monſtravit, cum Pariſiis commorarer, & dexterrime quoque hanc methodum me præſente in cadavere

davere peregit. Ambæ methodi & Foubertii & Thomæ, hæc habent commoda, quod cathetere non opus habeant. Incontinentia urinæ hanc methodum non inſequitur, quia nec orificium, nec collum veſicæ læduntur.

Quando catheteris introductio impoſſibilis eſt, hac operatione calculum educet Operator.

CAPUT XIII.

De Impedimentis in Operatione & extractione calculi.

SUpra deſcripſimus uſitatiſſimas hodie methodos, per quas ægri a calculo liberantur. Accidit quandoque poſt unius calculi extractionem, alterum adhucdum in veſica latere: imo Ruiſchius rariſſimum & inauditum habet exemplum mulieris octogenariæ, e qua quadraginta duos calculos extraxerunt una cum Ruiſchio Petrus Adriani filius, & Andreas Boekelmannus, Chirurgi quondam Am-

(a) *In Opſervationibus Chirurgicis pag.* 1.

Amſtelædami dexterrimi. Hos vero immiſſa forcipe extrahere oportet.

At quamplurima inſuper ſuperveniunt in hac operatione periculoſiſſima impedimenta, quæ ſingula breviter enarrare non incongruum videtur.

Interdum catheteris in veſicam immiſſio plane eſt impoſſibilis. Evenit hoc quando in urethra excreſcentiæ carneæ, vel fungoſæ hærent, has debita ratione auferre oportet.

Quandoque calculi in peculiari cavitate in veſica hoſpitantur, & ipſi veſicæ adhærent, quæ duo impedimenta operationem reddunt moleſtam, & calculi extractionem non raro impoſſibilem.

Raro calculi unci ad inſtar, oſſi pubis adhærent, celeb. Sermes tamen ob hanc cauſam calculum extrahere non potuit, ut in præf. Lith. Dougl. refert: in hoc caſu apparatu alto uti oportet.

Si forcipe calculum longitudinaliter Operator prehendit, extractio difficillima eſt, ergo attendere debet ne hoc fiat.

Calculi in fragmenta diſſilientes operationem retardant, & periculoſam magis reddunt. Iterata immiſſione forcipis fragmen-

ta

ta majora extrahuntur; minora & arenulæ cochleari peculiari.

Si ob magnitudinem educi nequit calculus, in fruſta disrumpi debet, & tum educi.

Hæmorrhagiam operationi ſupervenientem idoneis remediis ſupprimere oportet.

Deligatio vix poſt calculi ſectionem requiritur, certe primis poſt operationem diebus ſolummodo Splenium ſiccum, molle, applicare oportet, quo facilius urina effluat, & ſi quæ reſtant, arenulæ; poſtea ut vulnus recens tractare oportet ad integram ſanationem uſque.

CAPUT XIV.

De Calculi Operatione in fæminis.

INdicavimus ſupra quomodo calculus in fæminis dignoſcatur: ſupereſt ut de ejus cura quædam ſuperaddamus.

Quamquam minores calculi in fæminis non raro ſua ſponte ob urethram breviorem, ex-

excidunt; accidit tamen aliquando, ut tantæ magnitudinis calculi in veſica fæminarum lateant, ut ſponte excerni nequeant; requiritur tum ut arte Chirurgica ab eis liberentur.

Duplici modo calculum extrahere ſolent, nonnulli urethram dilatant; alii incidunt.

Ut in viris Celſiana methodus antiquiſſima eſt, ſic & in fæminis. In calculis minoribus ſcalpello non utebatur: ſed unco ex urethra extrahebat. In majoribus, digitis intromiſſis per pudenda, a ſiniſtra parte perinæum incidebat, ac operationem eodem modo ac in viris, peragebat.

Si per dilatationem calculum extrahere vult Operator, duplici modo hanc efficere poteſt. Prima hæc eſt methodus: Fæmina eodem modo collocatur ac vir in majori apparatu. Labia vulvæ una cum nymphis ab invicem leniter diducuntur. Tum Chirurgus conductorem marem per urethram in veſicam immittit, & ſupra hunc conductorem fæminam adigit. Deinde caute & prudenter hos conductores ab invicem diducit, donec urethram ac veſicæ collum ſatis dilataverit; quo facto, intra conductores forcipem immittit &, calculo prehenſo, eum extrahit.

Alia

Alia eſt methodus, quam Douglas in act. Philoſ. Anglic. docuit. Is in minoribus calculis extrahendis, ſequenti utitur methodo.

Turundam conſtruit ex ſpongia præparata, vel radice Gentianæ, quam in urethram adigit, qua eam adeo dilatare poteſt, ut poſtea facillime forceps immitti, & calculus protrahi queat.

Plurimi urethræ dilatationem, quemadmodum in magno apparatu, damnarunt; pertendunt nempe Sectionem prius curari, & facilius, quam contuſionem aut lacerationem. Urethram ergo incidunt pro extrahendo calculo. Vario modo inciditur, vel ab una, vel ab utraque parte.

Si ab una parte urethram incidere vult Chirurgus, catheterem ſulcatum in veſicam ducit, & ſuper eum urethram & veſicæ collum incidit, per quam inciſionem forcipem immittit, & calculum educit.

Si ab utraque parte urethram incidere in animum induxit Chirurgus, eximie convenit inſtrumentum quod clariſſimus Louis ingenioſe excogitavit.

Conſtat hoc inſtrumentum cultro myrtiformi, qui recondi poteſt inter duas laminas argenteas; hiſce laminis roſtrum affixum eſt

fiſſum,

ſiſſum, per quam fiſſuram culter movetur: culter hicce caudam habet, qua manubrio applicato movetur, elater præterea adeſt quo culter firmari poteſt, & annulus, quo inſtrumentum retinetur.

Roſtrum in veſicam demittitur, tum transverſe inſtrumentum firmiter retinetur; relevat tum elaterem Operator pollice manus ſiniſtræ dum indicem in annulo tenet, manu dextra cultrum protrudit ac movet per fiſſuram, ac retrahit; hoc motu urethram ab utroque latere ſecat, tum forcipem ſupra hoc inſtrumentum introducit, & calculum extrahit. Plerumque urinæ incontinentia hanc operationem inſequitur. Ut ab utraque parte urethram incidere poſſet, aliud peculiare inſtrumentum excogitavit Chirurgus Flurant. Inſtrumentum hoc expreſſum invenire eſt apud *C. Pouteau in Melang. de Chirurgie p.* 201. conſtat duabus laminis, quæ ope manubriorum ab invicem diducuntur, & urethram ab utroque latere incidunt.

CA-

CAPUT XV.

De Calculis in Urethra.

PArvi calculi interdum ex veſica exeunt, & in urethra hoſpitantur. Si prope Glandem penis reperiuntur, & aſperi non ſunt, aliquando facili negotio digitis ſolummodo exprimuntur. Ubi vero profundius in urethra hærent, inciſione facta eximuntur. Quod ſequenti modo facile fit.

Cutem ac præputium ſupra penis caput ducit Operator quantum poſſibile, tum plagam infligit longitudinaliter per cutem in urethram, pro magnitudine calculi vulnus determinans, calculo in conſpectum veniente, unco aut ſtylo eum eximit. Tegit poſtea cutis protracta vulnus urethræ, ac impedit urinæ fluxum per hanc aperturam. Vulnus ſatis facile ſanatur. Hanc methodum præ aliis præferrem, quod dolorem tam inſignem non cauſatur, quam ſi aliis inſtrumentis peragatur.

Ægyptii urethram flatu diſtendebant,

quo calculus facile exiret, quemadmodum refert Proſper Alpinus in Med. Ægypt. (*a*) verum ſi profunde in urethra ſitus eſt calculus, hæc methodus impoſſibilis eſt.

Interna diuretica fortiora commendant plurimi; verum ubi calculus aut aſper eſt, aut firmiter urethræ inhæret, illa plus nocent, quam proſunt. Si enim a tergo urgetur iſtis medicamentis, & inflammationem, & peſſima alia ſymptomata producunt. Nec aliud judicium erit de reprimendo calculo ope catheteris in veſicam, tunc enim hominem maximo illi periculo, quod Lithotomia ſecum trahit, objicimus, hoc vero crudele & Chriſtiano indignum eſt.

(a) *Lib.* 3. *cap.* 14.

FINIS.

C A-

CATALOGUS
QUORUNDAM
LIBRORUM MEDICORUM, CHIRURG. PHARMAC. BOTANIC. HISTOR. NATURAL. &c.

In Officina JOANNIS SCHREUDERI & PETRI MORTIER Junioris Amſtelædami proſtantium. 1761.

AMmanni (Joan.) Stirpium rariorum in Imperio Rutheno ſponte provenientium Icones & Deſcriptiones collectæ. Inſtar ſupplem. ad Commentar. Acad. Scient. Petropolit. 4. 1739.

Bammacaro (Nicol.) Tentamen de vi Electrica ejuſque Phænomenis in quo Aëris cum corporibus univerſi æquilibrium proponitur. 8. Neapoli 1749.

Baſteri (Jobi) Opuſcula ſubceſiva Obſervationes Miſcellaneas de Animalculis & Plantis quibuſdam Marinis, eorumque Ovariis & ſeminibus continentia. Liber I. & II. 4. fig. Harlemi 1759-60.

Barbeiracii (Caroli) Medicamentorum Conſtitutio ſeu Formulæ, in lucem editæ ac auctæ, cura & ſtudio Jacobi Farjon. 12. Lond. 1760. 2 vol. Edit. emendat.

Beccheri (Joh. Joach.) Phyſica ſubterranea profundam ſubterraneorum geneſin & princip. hucuſque ignota oſtendens; Opus ſine pari. 4. Lipſ. 1738.

Bergen (Car. Guſt. de) claſſes Conchyliorum. 4. Norimb. 1760.

Boehmeri (Phil. Adolph.) Obſervationum Anatomicarum rariorum Faſciculus notabilia circa Uterum Humanum continens. fol. Halæ fig.

Camper (Petri) Demonſtrationum Anatomico-Pathologicarum, liber primus, continens Brachii Humani Fabricam & Morbos. Amſt. 1760. fol.

Cartheuſeri (Jo. Frid.) Fundamenta Pathologica & Therapiæ Prælectionib. Acad. accommodata. 8. Francof. 1758.

Caſſebohm (Joh. Fr.) Methodus ſuccincta ſecandi & contemplandi Viſcera (item de Muſculis) Hominis. 8. Hallæ 1740.

Commentarii de rebus in ſcientia Naturali ac Medicina geſtis Compl. VIII. Vol. Lipſ.

—— —— idem Vol. & Partes ſepar.

Courcelles (Dav. Corn. de) Icones Muſculorum Plantæ pedis eorumque Deſcriptio. 4. Amſt. 1760. cum fig.

Diſpenſatorium Regium & Elector. Boruſſo-Brandenburgicum. fol. Edit. nova emendatior. Erfurth. 1758.

Flemyng (Milcolumbi) Neuropathia, ſive de Morbis Hypochondriacis, & Hyſtericis libri tres, Poëma medicum. Cui præmittitur Diſſertat. Epiſtolaris proſaica ejuſdem Argumenti. 8. Amſtelæd. 1741.

Galli (Jo. Mich.) Opuſcula Medico-practica varii Argumenti ſub auſpiciis Vir. Celeb. Ant. Cocchii. 4. Romæ 1752.

Gaubii (Hier. Dav.) Sermo Academicus de Regimine Mentis, quod Medicorum eſt habitus VIII. Febr. 1747. 4. Lugd. Bat.

Geſneri (Conradi) Hiſtoriæ Plantarum Faſciculus quem ex Bibliotheca D. C. J. Trc. edidit & illuſtravit D. C. Schmiedel. fol. Norimb. 1759.

—— (Joh.) Tractatus Phyſicus de Petrificatis in II. Partes & eorum varia origine 2. Petrificatorum variis originibus præcipuarumque Telluris mutationum teſtibus. 8. Lugd. Bat. 1758.

Haan (Anton. de) Theſis Pathologicæ de Hæmorrhoïdibus a Medic: ſtudioſis ordine defendendæ & oppugnandæ Die IX. Mart. 1759. 8. Viennæ.

—— ej. Ratio Medendi, in Noſocomio practico, quod in gratiam & emolumentum Medicinæ ſtudioſorum &c. 8. 5 partes ib. 1758-60.

—— ej. Quæſtiones ſæpius motæ ſuper Methodo Inoculandi Variolas ad quas directa Eruditorum reſponſa hucuſque deſiderantur, indirecta minus ſatisfacere videntur. 8. ib. 1757.

Haan

Haan (Anton. de) Theſes ſiſtentes Febrium diviſiones, natamque ea de cauſa de miliaribus, ac petechiis, cæteriſque Febrilibus exanthematibus, Diſſertationem. 8. ib. 1760.

Hartmanni (Georg. Volckm) Epiſtola de Bruto ex Homine. 4. Eref. 1733.

Haſenöhrl (Jo. Geo.) Hiſtoria Medica Morbi epidemici ſive Febris Petechialis quæ ab Anno 1757. fere finiente uſque ad Annum 1759. Viennæ graſſata eſt. 8. Viennæ 1760.

Hebenſtreit (Jo. Ern.) de Homine ſano & ægroto Carmen ſiſtens Phyſiologiam, Pathologiam Hygienen, Therapiam, Materiam Medicam. Præfatur de antiqua Medicina Carmen. Subnectuntur ſimiles Poëtarum ſententiæ, accedunt ſingula quædam Carmina. 8. Lipſ. 1759.

——— ej. ΕΞΗΓΕΣΙΣ ΟΝΟΜΑΤΩΝ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, Exegeſis Nominum Græcorum quæ Morbos definiunt. 4. Græc. Lat. Germ. Lipſ. 1751.

Hippocratis Coï de Humoribus purgandis Liber, & de Diæta Ægrorum Libri III. cum Commentariis integris Lud. Duretii: acceſſit Conſtitutio prima Libri ſecundi Epidemion cum ejuſd. Auctor: interpretat. P. Girardatus emendavit, in ordinem diſtribuit &c. &c. J. G. Gunz. 8. Lipſ. 1745.

Hoffmanni (Fried.) Opuſcula Phyſico-Medica Scorbini edita eaq. reviſa, aucta, emendata. 2 vol. 8. Ulm. 1741.

Hygiene Dogmatico-Practica rationem conſervandæ ſanitatis Corporis humani cum variis Artis Medicæ ſupplementis exponens. 4. Ulm. 1757.

Junckeri (Joann.) Conſpectus tam Chirurgiæ quam Medicinæ, methodo *Stabliana* conſcriptæ, quam Inſtrumentalis, recentiſſimorum Auctorum ductæ, collectæ quæ ſingula Tabulis CIII. exhibentur, cum Indice ſufficient. Edit. tertia emendat. 4. Hall. 1731.

——— ej. Conſpectus Phyſiologiæ Medicæ Hygieines in forma Tabularum repreſentatus & ad Dogmata *Stabliana* potiſſimum adornatus. 4. ib. 1755.

Junckeri (Joann.) Conſpectus Formularum Medicarum exhibens Tabulis XVI. tam methodum rationalem quam remediorum ſpecimina ex praxi *Stabliana* potiſſimum deſumptarum & Therapiæ generali accommodatarum. Edit. tertia. ib. 1753. 4.

—— Conſpectus Chimiæ Theoretico-Practicæ in forma Tabularum repræſentata Dogmatibus Beckerii & Stahlii. 4. 2 vol. ib. 1735.

Kramer (Gul. Henr.) Elenchus Vegetabilium & Animalium per Auſtriam Inferior. Obſervatorum ſiſtens in Claſſes & Ordines, Genera & Species redacta. 8. Vienn. 1756.

Krüger (Ephr.) de Nervo Phrenico indulti gratioſi Medicorum ordinis. 4. Lipſ. cum fig.

Lieberkühn (Joh. Nath.) Diſſertatio Anatomico-Phyſiologica de fabrica & actione Villorum inteſtinorum Tenuium Hominis, iconibus æri inciſis illuſtrata. 4. Amſt. 1760.

Lil (Wilh. van) Diſſertatio Medica inauguralis de Angina ſcirrhoſa. 4. Lugd. Bat. 1760.

Lommii (Jodoci) Opuſcula tria, 1. Obſervat. Medicinalium, 2. de Curandis Febrib. continuis, 3. de ſanitate tuenda. 12. 1745.

Manetti (Xaverii) Viridarium Florentinum una cum additionibus nonnullis & Animadverſionibus circa Genericas Plantarum nomenclaturas. 8. Florent. 1751.

Mazzini (Jo. Bapt.) Opera omnia Medica nunc primum tribus Tomis diſtributa, emendata & aucta. 4. fig. Brixiæ 1741.

Mead (Rich.) Monita & Præcepta Medica. Editio Nova. 8.

Palladii de Febribus conciſa ſynopſis Græce-Latinæ cum Notis J. S. Bernard. 8. Lugd. Bat. 1745.

Payra (Rodrig.) de Morbis cerebri & mentis qui extra cerebrum originem ducunt. 4. Romæ 1752.

Penza (Pet.) Siſtema Medico-Mechanicum de Febribus. 8 Neap. 1749.

Pharmacopæa Pauperum in uſum Noſocomii Regii Edinburgenſis. Edit. tertia. 8. Edinb. 1758.

Plazii

Plazii (Ant. Guil.) Organicarum in Plantis partium Hiſtoria Phyſiologica antehac ſuccincte expoſita nunc curatius reviſa & aucta. 4. 1751.

Religio Medici Juxta Exemplaria Lugdunenſia. 8. Eleutherop. 1743.

Roederer (Iſ. Geo.) Icones Uteri Humani Obſervationes illuſtratæ. fol. Gott. 1759.

Roger (J. L.) de perpetua Fibrarum Muſcularium palpitatione. 12. ib. 1760.

Rorarii (Hieron.) Animalia bruta, ſive quod Ratione utantur melius Homine: Libri duo. 8. Helmſt.

Rotundis (Pet. de) de Victus ratione in Febre acuta continua. 4. Romæ 1739.

Sauvages (Fr. Boiſſ. de) Pathologia Methodica, ſeu de cognoſcendis Morbis. 12.

Schelhameri (G. C.) Ars Medendi Univerſa, opus poſthumum, nunc demum ſecundum Auctoris ΑΥΤΟΓΡΑΦΟΝ ex propria Bibliotheca edidit E. F. Burchard. 4. 2 vol. Lipſ. 1747 & 1752.

Scheuchzeri (Joh. Jac.) Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ Naturalis, omnium Terræ Regionum inſervientium, Hiſt. Nat. Helvetii Prodromus. Acceſſit celeberrimi Viri Jacobi le Long Bibliothecari Oratoriani de Scriptoribus Hiſtoriæ Natur. Gallicæ. 8. Zurich 1751.

Schwenckii (Thom.) Hæmatologia, ſive ſanguinis Hiſtoria, experimentis paſſim ſuperſtructa. Accedit Obſervatio Anatomica de Acetabuli Ligamento Interno, Caput femoris firmante, cum binis Tabulis adjectis. 8. Hagæ Com. 1753.

Scilla (Auguſt.) de Corporibus Marinis lapideſcentibus quæ defoſſa reperiuntur, noviſſima Editio auctior & emendatior. Acceſſit Diſſertatio Fabii Columnæ de Gloſſo-Petris. 4. fig. Romæ 1759.

Severini (Marci Aur.) de Abſceſſuum recondita Natura Libri VIII. Editio cum Iconib. ære inciſis & Indicib. locuplet. Verborum & Hiſtoriar. accedunt & Clariſſ. Viror. Judicia 4. Lug. Bat. 1742.

Severini (Marci Aurel.) ΤΡΙΒΟΗΤΗΤΟΣ Η ΤΡΙΣΕΡΕΙΣΤΟΣ trimembris Chirurgia, in qua Diaetetico-Chirurgica, Pharmaco-Chirurg. Chemico-Chirurgica; traditio eſt. 4. ib. 1725.

Schloſſer (Jo. Alb.) Tractatus Chemici duo. I. De Sale Urinæ Humanæ nativo. II. De Calcis vivæ Actione in Salem volatilem Alcalinum. 8. Harl. 1760.

Snip (F.) De Lithotomia. 8. Amſt. 1761.

Struvii (Car. Guil.) Idea Syncretiſmi Medici ex Influxu ideali ſyſtematice evoluta. 4. Erf. 1753.

——— ej. Exercitationes Academicæ, quarum prima Materiam Medicam novam condendam tradit, ſecunda Ideam Acidi Univerſalis Methodo Philoſophica exhibet, Tertia eſt Oratio Panſophica de Moderando Studio rei literariæ agens concinnata. 8. Erfort 1752.

Slingerland (Corn.) Diſſertatio Medica de Noxis ab uſu Cibi & Potus frigidi. 4. Lugd. Bat. 1760.

Schraderi (J. H. C.) Obſervationum rariorum ad rem Medicam & Obſtetriciam ſpectantium Faſc. I. 8. Guelpherb. 1760.

Tabarani (Petri) Obſervationes Anatomicæ in Bononienſis Academiæ Inſtitut. ſcient. Philoſophico privato conventu jam habitæ, modo vero ab Auctore, adnotationibus variis nonnullis obſervatis & nov. Iconibus ornatæ. Edit. IV. auctior &c. 4. fig. Luc. 1753.

Visvliet (Egb. Phil. van) Specimen Practico Medicum inaugurale de Frigore Febrili. 4. Lugd. Bat. 1760.

Wepferi (Jo. Jac.) Obſervationes Medico-Practicæ de Affectibus Capitis internis & externis, nunc demum publici juris redditæ. Editio altera. 4. Zurich 1745.

Wachendorffii (Ev. Jac. van) Horti Ultrajectini Index. 8. Traj. ad Rhen. 1759.

Winckleri (Jo. Henr.) de Avertendi fulminis Artificio ex doctrina Electricitatis differit, atque ad trigam Orationum Memoriæ Heinricianæ & Scyffertianæ ſacrat in Auditor. Philoſoph. 15. Sept. 1753. recit. 4. Lipſ.

Livres

Livres de Médecine, de Chirurgie, d'Hiſtoire Naturelle &c.

ABregé de l'Anatomie du Corps humain, où l'on donne une deſcription courte & exacte de ſes parties, avec leurs uſages, par M. Verdier, nouv. Edition augmentée, 2 vol. 12. 1759.

Deſcription des Maladies qui regnent le plus communément dans les Armées, avec la Méthode de les traiter, par M. le B. de Swieten, 8. Vienn. 1760.

Deſcription de la Veſſie Urinaire de l'homme & des parties qui en dépendent par M. Parſons, 12. fig. Paris 1743.

Deſmographie, ou Deſcription des Ligamens du Corps humain, avec figures, 8. Paris 1752.

Elémens de Chymie par Herman Boerhaave, traduits du Latin, 12. fig. 6 vol. Paris 1754.

Entretiens Phyſiques d'Ariſte & d'Eudoxe, ou Phyſique nouvelle en Dialogues, qui renferme préciſément, ce qui s'eſt découvert de plus utile dans la Nature, par le P. Regnault, 12. fig. 5 vol. Paris 1750.

Eſſai ſur la Génération de la Chaleur dans les Animaux, traduit de l'Anglois de Robert Douglas, 12. Paris 1760.

—— ſur l'Uſage des Montagnes, avec une Lettre ſur le Nil, par Mr. E. Bertrand, 8. Zurich 1755.

—— ſur l'Hiſtoire Naturelle du Polype Inſecte, par M. Henri Baker, traduit de l'Anglois, par M. P. Demours, 8. fig. Paris 1744.

Expériences & Obſervations ſur l'Electricité, faites par M. B. Franklin & communiquées dans pluſieurs Lettres à M. P. Collinſon, traduites de l'Anglois, 2. Edition, augmentée par l'Auteur, d'un ſupplément conſidérable, de notes & d'experiences nouvelles par M. d'Alibart, 8. fig. 2 vol. Paris 1756.

—— ſur l'Electricité, avec quelques conjectures ſur la cauſe de ſes effets, par M. Jallabert, 8. fig. Paris 1749.

Génération (de la) des vers dans le corps de l'Homme, de la Nature & des eſpéces de cette Maladie ; des moyens de s'en préſerver & de la guérir. 3. Edition conſidérablement augmentée & formant un Ouvrage nouveau, avec fig. 2 vol. 12. Paris.

Guide (le) des Accoucheurs, ou le Maître dans l'Art d'accoucher les femmes & de les ſoulager dans les Maladies & Accidens qui les attaquent, par Jaq. Meſnard, 8. fig. Paris 1753.

Haan (A. de) [Lettre à Mr.] en réponſe à ſes Queſtions ſur l'Inoculation, par M. Tiſſot, 8. Vienne 1759.

—— Réfutation de l'Inoculation, ſervant de Réponſe à une Diſſertation de M. de la Condamine, & à la Lettre de M. Tiſſot, 8. Vienne 1759.

Inſtitutions de Médecine de Mr. Herman Boerhaave, ſeconde édition, avec un Commentaire par M. de la Mettrie, 12. Paris 1743. 8 vol.

La Médecine, la Chirurgie & la Pharmacie des Pauvres, par feu M. P. Hecquet, Nouv. Edit. revue & corrigée ſur le Manuſcrit de l'Auteur, avec un Catalogue raiſonné de ſes Ouvrages. 4 vol. 12. Paris 1749.

Mémoire inſtructif, ſur la maniere de raſſembler, de préparer, de conſerver, & d'envoyer les diverſes Curioſités d'Hiſtoire Naturelle. 8. Lyon 1758. fig.

—— ſur la Nature ſenſible & irritable du Corps Animal, par Mr. de Haller, avec les expériences de pluſieurs autres Anatomiſtes. 4 vol. 12. Lauſ. 1760.

Mémoires ſur la ſtructure interieure de la Terre par M. Elie Bertrand. 8. Zuric. 1752.

l'Onaniſme ou Diſſertations Phyſiques & Morales, trad. du Latin par Mr. Tiſſot. 12. Lauſ.

Principes de Chirurgie par M. la Faye. 12. Paris 1746.

Recueil des Pieces qui ont remporté les prix à l'Académie de Berlin. 4. pour l'Année 1759. ſur l'Influence Réciprоque du langage ſur les opinions, & des opinions ſur le langage. 4. Berlin 1760.

Secrets & les Fraudes de la Chimie & de la Pharmacie Modernes devoilés, par l'Expoſition de pluſieurs pratiques Nouv. &c. 8. Haye 1759.

Soins faciles pour la propreté de la Bouche & pour la Conſervation des Dents, par Bourdet. 12. Lauſ. 1760.

Tables (quatre) Anatomiques, repréſentant une obſervation très rare d'une Matrice double, par M. Eiſenmann, fol. Strasb. 1752.

Traité des Maladies des Femmes groſſes & de celles qui ſont accouchées, par F. Mauriceau, 7ᵉ. Edition, corrigée & augmentée par l'Auteur. 4. 2 vol. fig. Paris.

——— d'Inſectologie, ou Obſervations ſur les Pucerons & ſur quelques eſpéces de vers d'Eau douce, qui, coupés par morceaux, deviennent autant d'Animaux complets, par Mr. Bonnet. 8. 2 vol. fig. Paris 1745.

——— Pratique ſur la goutte, & ſur les moyens de guerir cette Maladie, par Mr. Coſte. 8. Amſt. 1737.

English Books.

ALſton's *Three Diſſertations on Quik-Lime and Lime-water.* 8. Edenb. 1757.

Coe (Tho.) *his Treatiſe on Biliary Concretions or ſtones in the Gall Bladder and Divers.* 8. Lond. 1757.

Mead's (Richard) *Diſcourſe on the ſmall Pox and Meaſles, to which is annexed a Treatiſe upon the ſame Diſeaſes by the celebr. Arabian Phyſician Abubeker Rhazes.* 8. Lond. 1753.

Robinſon's (Nicol.) *Eſſay on the Gout and all Gouty affections incident to affect Mankind.* 8. Lond.

Whytt's (Rob.) *Phyſiological Eſſays.* 12. Edinb 1755.

Outre ce Catalogue-ci, les mêmes Libraires en diſtribuent encore d'autres, de Livres de Medicine &c.

Hochteutſche Bücher.

Abhandlungen der Römiſch Kayzerlichen Akademie der Naturforſcher / Mediciniſch, Chirurgiſch, Anatomiſch und Botaniſch. 4. VIII. theil. Nurnb. 1760.

Chauffepié (P. S. de) Neuer Hebammen-Wegweiſer / oder deutlicher unterricht / wie eine Wehemutter bei alle in der Geburths-Hülfe vorkommende Umſtänden ſich zu verhalten hat. 8. Lubeck 1758,

Chemnitz Beytrage zur Teſtaceo-Theologie oder zur erkäntniß Gottes aus den Conchylien. 8. Nurnb. 1760.

Eberhards (Jo. P.) Sammlung derer ausgemachte Wahrheiten in der Naturlehre. 8. 1753. mit kupf.

Eleaſaris (R. Abr.) Uraltes Chymiſches Werk / mit gehörigen figuren / gefäßen / Oefen / Vorrede / Schlüſſel fremder Wörter / und einige regeln vom den ſteine der Weiſen durch J. G. Schwartzenburgicum. Lipſ. 1760.

Erhart (Dan. Balth.) Oeconomiſche Pflantzen Hiſtorie / nebſt den kern der Landwirtſchaft / Garten und Artzney-kunſt mit einer Vorrede von Hr. Phil. Gmelin, 2 auflage. 8. 7 theile Ulm.

Hallers (Alb. von) Anfangs-gründen der Phyſiologie des Menſchlichen Cörpers aus dem Lateinſchen überſetzt von Joan, Sam. Haller. Erſter band. 8. Berlin 1759.

—— (Joh. Sam.) Naturgeſchichte der Thiere in Siſtematiſcher Ordnung / 8. 2er. band / Berlin 1760.

Henckels (J. F.) Abhandlung von Bein Brüchen und Verrenkingen / mit kupf. 8. Berlin 1759.

Heuerman (D. Georg.) Abhandlungen der vornehmſten Chirurgiſchen Operationen am Menſchlichen Cörper / mit abzeichnungen der Inſtrumenten / 8. 3 theilen Coppenh. & Leipſ. 1755. mit kupf.

Huth (G. L.) überſetzung verſchiedener die Fieberinde betreffender Abhandlungen von Douglas, Shipton, Wail, Gray & *de la Condamine*, 8. Nurnb. 1760. mit kupf.

Krügers (Joh. Gottl.) Geſchichte der Erde in den allerälterſten zeiten. Halle 1746. mit kupf 8.

Klein (Jac. Theod.) Verbeſſerte und volſtändige Hiſtorie der Vögel/ 4. Dantz. 1760.

—— ej. Natürliche Ordnung und vermehrte Hiſtorie der vierfüſſige Thiere/ 4. ib. 1760.

Ledermuller (M. Frob) Verſuch zu einer gründlichen Vertheidigung der Samenthiergen; nebſt eine kurtze beſchreibung derer Leeuwenhoekiſchen Mikroskopie und einen Entwürf zu einer volſtändigern geſchichte der Sonnen Mikroskops / 4. Nurnb. 1758.

Ledermullers (M. F.) Phyſicaliſche Beobachtung derer ſaamenthiergen / durch die allerbeſten Vergröſſerungs-Gläſer/ Nurnb. 1756.

—— Beyträge zu denen beobachtungen derer ſaamenthiergen und kleiſteralen gehörig. 8. mit kupſ. Francf. & Leipſ. 1760.

—— Mikroskopiſcher Gemüths / und Augens Ergötzunge/ bereits 74 Tabellen mit Farben nach der Natur erleuchtet und in kupfer gebracht von Georg Paul Nuſzbiegeln. 4. Nurnb. 1760.

Lehmans Entwürf einer Mineralogie / 8. Berlin 1760.

Leſſers (Fried. Chr.) Teſtaceo Theologia, oder gründlicher Beweis des daſeins und der vollkommenſten Eigenſchaften eines Göttlichen Weſens / aus natürlicher und Geiſtlicher betrachtung der ſchnecken und Muſcheln/ 8. Leipz. 1759. mit kupſ.

Levret (Herm.) Wahrnehmungen von den Urſachen und zufällen vieler ſchweren Geburten / mit Anmerkungen über die bißhero vorgeſchlagene und angewandte Mittel dieſelben zu enden nebſt einiger neuen mitteln dazu / viel leichter zugelangen/ neuen/ Handgriffen und Werkzeugen/ vermehret von D. J. J. Walbaum. 8. Lubeck 1758.

Neumanns (D. Caſpar) Chymia Medica, oder gründliche und mit Experimenten erwieſene Mediciniſche Chymie/ 2er Auflage 1er und 2er band/ von des Pflantzen-Thier und Mineral Reichs/ 4. Zullichau 1756.

Onomatologia curioſa, Artificioſa & Magica, oder gantz Natürliches Zauber Lexicon/ in welches das nötigſte/ nutz und angenehmſte in allen realen Wiſſenſchaften/ überhaupt/ und beſonders in der Naturlehre/ Mathematic etc. 8. Leipz. & Ulm 1759.

—— *Hiſtoria Naturalis* oder Volſtändiges Lexicon aller Benennungen und kunſtwörter der Naturgeſchichte/ 8. Ulm. 1758,

Onomatologia Medica completa, oder Mediciniſches Lexicon aller Benennungen und kunſtwörter der Zergliederungs-und Wund-Arzney-Wiſſenſchaft/8. Ulm. 1758

Onomatologia Medica completa oder Medeciniſches Lexicon aller Benennnngen und Kunſtwörter vom Artzney Wiſſenſchaft und Apoteckerkunſt/ 8. ib. 1755.

Palfin (Joh.) Chirurgiſche Anatomie/ oder genaue beſchreibung der theile des Menſchlichen Korpers/ 4. Nurnb. mit kupf.

Pontoppidanus(Erich)Verſuch einer natürlichen Hiſtorie von Norwegen / worinnen die Luft / grund und Boden / gewäſſer &c. &c. beſchrieben werden aus den Däniſchen durch J. A. Scheiben. 8. 2 theil. mit kupf. Kopenh. 1754.

Reimarus (Herm. Sam.) Algemeine betrachtungen über die Triebe der Thiere / hauptſachlich über ihre kunſt-Triebe/ zur erkäntniſſ/ des zuſammenhanges der Welt/ des Schöpfers und unſer ſelbſt/ 8. Hamb. 1760.

Richters (Joh. Gott. Ohnef.) Ichthyologie oder vernunfft und Schriftmäſziger verſuch die menſchen aus betrachtung der Fiſche/ 4. Leipz. 1754.

Scheuchzer (Joh. Jac.) Phyſica oder Natur-Wiſſenſchaft/ 2 theilen/ mit kupf. 8. Zurich 1743.

Schaarſchmidt (Samuel) Verſchiedne Schriften von der Chirurgie &c. 8.

Schäfferi (Jac. Cfr.) Schrifte von der Hiſtoria Naturalis. 8. mit illuminirte kupf.

Thebeſii (Joh. Ehr.) Hebammen kunſt/ neue und vermehrte auflage/ mit kupf. 8. Liegn. 1759.

Tiſſot (S. A. D.) Verſuch von Kranckheiten/ welche aus der ſelbſtbefleckung entſtehen/ 8. Francf. 1760.

Welt

Welt (die) in feuer/ oder das wahre vergehen und Ende der Welt durch den letzten Sünden-Brand/ 4. mit kupf.

Winkler (Joh. Heinr.) Gedancken von den Eigenſchaften / Werckungen und Urſachen der Electriciteit/ nebſt Beſchreib. neuer Elecktriſchen Maſchinen/ 8. Leipz. 1744.

——— ej. Philoſophiſche Unterſuchungen/ von dem ſeyn und weſen der Seelen der Thieren/ von einigen Liebhabern der Weltweisheit in ſechs verſchiedene Abhandelungen aus geführet/ und mit einer Vorrede von der Einrichtung der Geſelſchaft derer Perſonen ans Licht geſtellet/ 8. Leipz. 1745.

——— ej. Anfangs gründe der Phyſic/ 1. ibid. 1753.

Winkler (Lic. Hein.) Gründliche Anweiſung zur kentniſz/ und zu einer leichten und ſichern Cur aller Menſchen und Podragiſcher krankheiten/ ohne Merkurialmittel und Operata. 4. Altona 1760.

Ohne die in dieſen Catalogo vermeldte Bücher/ ſein bei denen ſelbigen/ noch andere zu bekommen wo von ebenfals Catalogi zu haben ſein.

a.
Surg. (sf. oper)